







# DE PARTICULARUM COPULATIVARUM APUD VETERES ROMANORUM SCRIPTORES USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

**GUILELMUS MERTEN**
GUESTPHALUS.

MARPURGI CATTORUM.
TYPIS FRIEDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCLXXXXIII.

Dissertatio adprobata
a. d. XII kal. Mart. A. MDCCCLXXXXIII.

PIIS PATRIS MANIBUS

S.

# Prooemium.

Hodie si quis in usum particularum copulativarum accuratius inquiret, vix cum Draegero queretur modo paucos huic syntaxis parti operam navasse. Nam post alteram utilissimi Draegeri operis editionem a satis multis viris doctis partim uberius partim singulis adnotationibus hic illic dissipatis de hac re disputatum est. Sed non sufficiunt; nam illarum vocularum usus plane cognosci nequit, priusquam quomodo unusquisque et orationis solutae scriptor et poeta eas adhibuerit investigatum sit. Quam ad rem ut de meo aliquid conferrem, veterum historicorum et oratorum fragmenta, Cornificium quem vocant, Ciceronem, Varronem perlustravi. Nonnumquam etiam exempla ex comicorum et tragicorum fragmentis et ex Catone attuli. Atque de Ciceronis particularum usu quoniam multi viri docti copiosissime ac scitissime egerunt, totam materiam iterum tractare non habeo in animo, sed id maxime spectavi, ut quaererem, si quae discrepantia inter diversae aetatis variique generis scripta intercederet, et ut ea quae a vulgari consuetudine recedunt quaeque non satis explanata sunt proferrem. Cornificii et Varronis libros nemo adhuc accuratius examinavit; nam Reiterus in dissertatione, cui titulus est »quaestiones Varronianae grammaticae« Regimont. a. 1882 emissae particulas copulativas breviter attigit. De veterum historicorum et oratorum usu, utpote quorum opera integra non supersint, cum confidentia diiudicari nequit, sed parvum fructum etiam hinc capere licet.

Ac discrimen, quod inter particulas *et*, *que*, *atque (ac)* intercedit, grammatici ita indicare solent, ut dicant *et* simplicissimam exhibere copulationem interiore ratione neglecta, per particulam

*que* notiones et enuntiata artiore vinculo comprehendi, per *atque* res compositas aequari vel aliquid gravioris momenti adiungi. Quae discrepantia quamquam in universum statui potest atque apud bonos quidem scriptores magnam partem valet, tamen non omnibus latini sermonis temporibus neque ab omnibus scriptoribus observata est, sed plerumque suas quisque leges in particulis adhibendis secutus est, et alius aliam praetulit. Hoc inde explicari posse mihi videtur, quod vocabula, quae in tanta frequentia essent, proprietate facile amissa tantum copulationi inserviebant, ut saepe scriptoris arbitrio permissum esset, quam particulam ponere vellet.

Atque in antiquissimis quidem sermonis latini monumentis *que* particulam longe praevalere nuper Elmerus[1]) p. 4 sqq. demonstravit. Nam inscriptiones, quae bello Hannibalico antiquiores sunt, exceptis duabus (CIL I n. 182 ubi *et* atque n. 33 ubi *atque* occurrit), omnes *que* exhibent. Nec minus in legibus, edictis aliisque publicis documentis vocula *que* fere sola coniungendi munere fungitur. Quod maxime apparet ex lege agraria (C. n. 200), in qua *que* 46 locis, *et* semel legitur, et ex lege Cornelia (C. n. 202), quae 25 locis *que*, nullo *et* praebet. Ubi autem *et* vel *atque (ac)* in eiusmodi documentis positum videmus, persaepe ideo factum esse Elmerus recte suspicatus est, ut ambiguae iuncturae, quales sunt *undeque*, *sique*, *utique*, *neque*, *quoque*, *quaque*, *quotque*, *adque*, *aque*, *inque* alia vitarentur. In omnibus vero inscriptionibus bello Punico secundo posterioribus praeter leges litterasque publicas copula *et* usitatissima est, *atque* et *ac* rarissime occurrunt. Etiam Ciceronis aetate *que* primum locum in legibus et publicis tabulis obtinuisse ex or. Phil. V 40 elucet, ubi Cicero senatus consultum proponens *que* decies, *et* bis, *atque (ac)* numquam adhibet, et ibidem XI 29, ubi *que* duodevicies, *et* ter occurrit; similis ratio est V 53; IX 15—17; X 25 sqq. Conferendae sunt praeterea de legg. II 19 sqq. et

1) The Copulative Conjuntions Que, Et, Atque in the Inscriptions of the Republic, in Terence, and in Cato. Baltimore 1887.

III 6 sqq., in quibus Cicero priscum sermonem imitatus plerumque particula *que* utitur; invenitur enim illo loco *que* tricies et bis, *et* terdecies, *atque* semel, *ac* semel; hoc loco *que* duodetricies, *et* ter, *ac* semel. Etiam in senatus consulto quod extat in M. Caelii epistula (ep. VIII 8) *que* praevalet (*que* 7, *et* 3, *atque* (*ac*) 0). Sed de inscriptionibus et legibus satis dictum est: sequatur Cato. Cuius librum de agricultura scriptum excutiens *et* 510, *que* 202, *atque (ac)* 7 locis repperi; aliter in orationibus eius et originibus res se habet: legitur enim in illis *et* 24, *que* 14, *atque (ac)* 76, in his *et* 13, *que* 11, *atque (ac)* 15 locis. In orationibus coniunctionem *atque* saepius poni quam in ceteris scriptis inde explicari potest, quod haec vox, cui plenior et grandior sonus inest, ad orationis gravitatem accommodatior est, quam ad res tam simplices tamque ieiunas, quae in libro qui est de agricultura tractantur.

Transeamus ad veterum historicorum et oratorum reliquias, in quibus saepissime copulandi muneri *et* inservit; occurrit enim apud historicos *et* 92, *que* 51, *atque (ac)* 68, apud oratores *et* 40, *que* 20, *atquc (ac)* 20 locis.

Caesaris, Sallustii, Livii libros Ringius[1]) perlustrans in bello Gallico *et* 908, *que* 886, *atque* 429, *ac* 190 locis invenit, in bello civili *et* 654, *que* 830, *atque* 352, *ac* 107; in Sallustii operibus *et* 786, *que* 470, *atque* 350, *ac* 120; in Livii lib. I. *et* 264, *que* 410, *atque* 41, *ac* 78; l. XXI. *et* 342, *que* 342, *atque* 50, *ac* 82. In primis duobus Curtii historiae libris *et* 470, *que* 350, *atque* 25, *ac* 50 locis positum vidit Klammerus[2]). Hinc intellegi licet apud historicos inter particulam *et* et *que* non magnum numeri discrimen intercedere, sed earum frequentiam multo maiorem esse quam coniunctionis *atque (ac)*.

Numeros valde inter se discrepantes Cornificii quem vocant rhetorica ad Herennium ostendunt, in quibus *et* longe superat reliquas particulas. Ponitur enim *et* 767 locis, *que* 21, *atque*

1) Ueber den Sprachgebrauch des Caesar. Göttingen 1880. p. 3.
2) Animadversiones Annaeanae grammaticae. Bonnae 1878. p. 1.

*(ac)* 88. Eundem ordinem etiam habes in Ciceronis libris, qui sunt de inventione rhetorica. Nam praeponderat in his quoque longe maxime particula *et*, quae invenitur 984 locis, sequitur *atque (ac)* 195, *que* 11 locis.

Sed de hac re infra paulo accuratius agemus.

Minorem usus diversitatem in ceteris Ciceronis operibus reperies; in his exhibet

| | | | |
|---|---|---|---|
| oratio pro Quinctio habita | *et* 168, | *que* 46, | *atque (ac)* 62 |
| in Verr. l. III. | » 425, | » 182, | » » 340 |
| pro Fonteio | » 96, | » 32, | » » 95 |
| de imp. Cn. Pomp. | » 124, | » 69, | » » 133 |
| in Cat. orr. IV, | » 248, | » 134, | » » 232 |
| or. Phil. III. | » 83, | » 64, | » » 28 |
| or. Phil. V. | » 84, | » 105, | » » 23 |
| or. Phil. XI. | » 83, | » 52, | » » 25. |

Hi numeri in orationibus particulam *et* reliquis antecedere docent, praeter eam, quae est de imperio Cn. Pompei, in qua *atque (ac)* praevalet. Occurrit enim in hac oratione redundantia verborum et superlatio quaedam, qua Cicero argumentorum inanitatem, quibus legem commendat, tegere studet. Quae redundantia eiusmodi est, ut pro simplici locutione duo verba cognominata vel idem significantia ponantur, quae persaepe particula *atque (ac)* coniuncta sunt. Omninoque cum illo loquendi tumore melius concinit plenior et grandior sonus vocis *atque (ac)* quam simplex *et*. Eadem est causa, cur in orationibus in Catilinam habitis *atque (ac)* tam frequenter legatur, ut fere usum particulae *et* exaequet. Secundum locum in plurimis orationibus tenet coniunctio *atque (ac)*.

In libris rhetoricis et philosophicis et in epistulis particulam *et* longe esse usitatissimam numeris comprobatur his:

| | | | |
|---|---|---|---|
| de orat. I. | *et* 544, | *que* 213, | *atque (ac)* 255; |
| Brutus | » 900, | » 268, | » » 97; |
| de fin. I. | » 219, | » 94, | » » 27; |
| Laelius | » 239, | » 101, | » » 47; |
| ep. XV. | » 183, | » 101, | » » 42. |

Adnectimus Varronem, in cuius libris de re rustica et de lingua latina scriptis consentiens usus invenitur, nam in utroque opere frequentissime usurpatur *et*, rarissime *que:* (de re rust. *et* 1068, *que* 73, *atque* 78, *ac* 287; de l. lat. *et* 1054, *que* 19, *atque* 38, *ac* 120.

Ut denique pauca posterioris aetatis exempla afferam, apud Senecam quoque et Quintilianum *et* particulam saepissime occurrere Klammerus docuit (p. 2).

Hunc conspectum praemisi, ut qui singulorum scriptorum variique dicendi generis usus fuerit in universum perspici possit.

Nunc ad singula accedo, atque ut uniuscuiusque particulae usus clarius eluceat, seorsim eas tractabo. Incipiam a particula

## *Et.*

### I. De particula ‚et' notiones coniungente.

§ 1. Quae cum omnium sit simplicissima et copulet nexu externo, locum habet a) si partes alicuius rei indicantur: Cornif. I 27: *ex intentione et infitiatione iudicatio constituitur.* II 46: *exornatio constat ex similibus et exemplis.* Varro de l. l. IX 3: *quod est homo ex corpore et anima.* Cic. de fin. IV 19: *cum ex animo constaremus et corpore;* et saepius. Sed de fin. V 34: *hominem ex corpore animoque constare.* de orat. III 19: *cum omnis ex re atque verbis constet oratio.* Hoc loco Cicero *atque* posuit, quia rem et verba pares esse orationis partes significare voluit.

b) Porro *et* in divisionibus usurpatur: Varro de l. l. VIII 11: *orationis duas partes esse dicit*, *vocabula et verba.* § 21: *declinationum genera duo*, *voluntarium et naturale.* de r. r. I 17, 1: *dividunt in tres partes instrumenti genus*, *in vocale et semivocale et mutum.* I 27, 1: *dividitur in ver et aestatem et autumnum et hiemem.* Ac Varro semper in eiusmodi exemplis adhibet copulam *et.* Quod etiam de Cornificio valet. Nam quod III 3 scribit: *utilitas dividitur in rationem tutam atque honestam*, utramque rationem aequalem eum ponere perspicuum est.

Eodem modo explicandum est, quod legitur Cic. Brut. 141: *actio partienda est in gestum atque vocem.*

c) Si praepositione *inter* discrimen vel diversitas duarum rerum exprimitur, apud Cornificium, Varronem et in primis Ciceronis scriptis inter has intercedit *et*, numquam *que*, *atque (ac)*. Cornif. IV 5: *hoc interest inter testimonium et exemplum.* de inv. I 6: *inter officium et finem hoc interest.* de r. r. II praef. 5: *inter Delum et Siciliam.* pro Roscio com. 46: *quid interest inter periurum et mendacem.* In reliquis orationibus et libris philosophicis etiam *que* et *atque (ac)* Cicero adhibet. pro Rab. 15: *intervallum inter te atque illum.* pro Balbo 49: *discrimen inter gratiosos civis atque fortis.* Brut. 231: *inter nostrum tuumque initium docendi.* Tim. c. 5: *inter ignem atque terram.*

d) Omninoque tum *et* ponitur, cum omni interiore ratione omissa notiones enumerantur et colliguntur, velut apud Varronem animalium, plantarum, cibariorum, vocabulorum, populorum, terrarum nomina: de r. r. I 57: *murem et vermem.* II 1, 6: *capras et oves.* I 13, 1: *faba et faenum.* 35, 1: *lilium et crocum.* II 1, 4: *lacte et caseum.* II 11, 7: *vino et oleo.* de l. l. V 138: *Pistrina et Pistrix.* VI 75: *Canto et Cantatio.* § 83: *audio et ausculto.* Saepe Varro etiam particula *ac* utitur, et ante eas potissimum voces, quarum prima littera est *f*, *m*, *c*, ante quas hanc coniunctionem amare videtur; de quo infra accuratius agemus. de r. r. I 47, 1: *olea ac ficus.* III 5, 7: *gallinae ac columbae.* § 14: *lusciniolae ac merulae.* I 1, 6: *Robigum ac Floram.* Occurrit tamen etiam aliis consonis praepositum. de r. r. I 13, 7: *Metelli ac Luculli.* I 57, 2: *in Cappadocia ac Thracia.* Cicero quoque plerumque nomina propria coniunctione *et* componit, saepe autem particulam variat atque interdum consulto: de or. I 43 *Aristotelem Theophrastumque* dicit hos duos Peripateticorum principes significans atque complectens; fortasse etiam causae subsunt rhythmicae; nam *et* si scripsisset evasisset versus dactylicus.

§ 2. Cum positivi duorum adiectivorum gradus coniunguntur, in usu frequentissimo est particula *et* in Cornificii, Varronis, Ciceronis de inventione libris. Raro *atque* vel *ac* occurrit, et *ac* apud Varronem quidem plerumque ante litteras *f* et *c*; de l. l. V 121: *figuras ligneas ac fictiles.* VIII 29: *triclinia valvata ac fenestrata.* de r. r. II 9, 4: *auriculis magnis ac flaccis.* I 12, 4: *in humilibus ac cavis locis.* II 9, 4: *unguibus duris ac curvis.* 10, 3: *greges armenticios ac caprinos.* De ceteris Ciceronis scriptis regula statui nequit, nam promiscue coniunctiones ponuntur.

§ 3. Ut iam ad pronomina veniamus, Varro cuiusque generis pronomina frequentissime adnectit per particulam *et*, quamquam reliquae non prorsus absunt. Observatur tamen inter libros de re rustica et de lingua latina scriptos usus discrepantia, cum in illo opere ante pronomen determinativum *is*, *ea*, *id* voculae *et*, *que* fere in pari frequentia sint, in hoc praeter quattuor vel quinque locos *et* ponatur.

Ab usu Varroniano non multum recedit Cornificius, nam in eius quoque libris primum locum tenet copula *et*. Cicero certas leges secutus esse non videtur, quamquam in quibusdam iuncturis unam alteramve particulam praetulit, de quo infra pauca dicemus. Hoc iam affero: pronomina determinativa *is* et *idem* in prioribus orationibus saepius per *et* adiungi, in posterioribus, imprimisque Philippicis ac scriptis rhetoricis et philosophicis frequentissime voce *que* addi.

§ 4. Ad coniungenda duo adverbia Cornificius et Cicero in libris de inventione scriptis fere semper *et* adhibent; *que* tantum Corn. IV 16 occurrit in exemplo rhetorico: *magis magisque; atque (ac)* de inv. II 10: *temere atque adroganter.* II 156: *communiter ac similiter.* In reliquis scriptis Cicero particulas copulativas miscet. Apud Varronem duo adverbia raro apparent conexa: de l. l. IX 73: *ante et post.* X 33: *semel et saepius.* X 52: *prosus et rosus.* de r. r. II 1, 19: *pure et molliter.* II 2, 9: *longe et late.* *Ac* quinquies usurpatur et quidem inter notiones cognatas ac cognominatas: de l. l. V 131: *foras ac*

*palam.* VII 89: *hilare ac lubenter.* VIII 9: *generatim ac summatim.* de r. r. II praef. 6: *breviter ac summatim.* III 2, 13: *separatim ac dispersim.* In unius adverbii adiunctione Varro particulam *et* praeposuit his: *sic*, *sicut*, *tum*, *tunc*, *unde*, *inde*, *hinc*, *illinc*, *iam*, *ultro*, *introrsum*, *deorsum*, *rursus*, *ubi*, *omnino*, *eodem*, *saepe*, *palam*, *nonnumquam.* Alia adverbia (*simul*, *ideo*, *item*, *ibi*, *ita*, *contra*, *ut*, *illic*, *postea*) etiam reliquis copulis adiunguntur.

§ 5. In numeralium compositione usus Varronianus congruit cum Ciceroniano. Nam etiam Varro, in cuius libris non multa numeralia extant, si numeri per particulam componuntur, minorem priore loco ponit: de l. l. V 17 *unius et viginti.* V 45 *septem et viginti.* de r. r. I 28, 1. I 37, 5. II 4, 11. excipiuntur de r. r. II 1, 2; 1, 28; III 9, 21. Omissa particula maior numerus antecedit: de l. l. X 10 bis. de r. r. I 34, 1. de vita pop. Rom. (ed. Kettner, Halis 1863) p. 38, 8 [1]). — Praeterea habeo haec: ex Fabii Pictoris latinis annalibus: *duo et vicesimo anno* (Peter p. 110, 6 ex Gellio sumptum). Ex Coelii Antipatri l. VII.: *duos et septuaginta lictoris* (Peter p. 160, 45 ex Nonio), ex Valerii Antiatis l. LXXIV.: *viginti et septem* (Peter p. 275, 61 ex Prisciano). Ceterum confitendum est omnibus locis qualis positio numeralium fuerit cum confidentia iudicari non posse, quia in vetustissimis libris saepe notis designata erant, quae postea verbis expressa sunt.

§ 6. Deinde particula *et* copulationi notionum contrariarum inservit et apud Varronem quidem fere sola, apud Cornificium maximam partem; *que* apud illum modo bis (de r. r. II 6, 2 *mares feminasque.* de vita pop. Rom. ed. Kettner p. 30, 4 *viri mulieresque*), apud hunc numquam invenitur, raro *atque* vel *ac.* de l. l. V 58 *mas et femina.* 59 *animus et corpus.* § 63. § 9. VI 31 *mane et vesperi.* X 52 *prosus et rosus.* IX 73 bis. 74.

1) Aliter Plautus Mostell. 630, ubi minorem numerum sequitur maior (*quattor quadraginta illi debentur minae*), et mil. 43

*centum in Cilicia*
*et quinquaginta*, *centum in Scytholatronia*

ubi deleta interpunctione *quinquaginta centum* coniungendum censet Birtius

X 33. de r. r. I 18, 3 *adderemus et demeremus.* III 7, 4. — Cornif. II 8 *nocentis et innocentis.* III 15. IV 61. *Ac* legitur de l. l. VI 65 *cum hominibus ac rebus.* VII 17 *caeli ac terrae.* IX 57 *marem ac feminam* (ante f!). X 2 *simile ac dissimile.* V 6 *novorum ac veterum.* de r. r. III 5, 16 *ultro ac citro* (ante c!). III 16, 32 *intus eunt ac foras* (ante f!).

Nec minus apud Ciceronem per particulam *et* longe saepissime oppositio verborum fit, cuius usus exempla congerere supervacaneum est.

§ 7. Haud raro notiones ita per *et* coniunguntur, ut cadant sub figuram ἓν διὰ δυοῖν quam vocant. Extant in libris de inventione scriptis pauca exempla: § 19 *cura et cogitatione* (‚*mit sorgfältiger Ueberlegung*'). II 111 *qui tunc excursionibus et latrociniis infestam provinciam redderent* (nos ‚*Raubzüge*'). idem pro rege Deiot. § 22. de inv. II 2 *cum formas et corpora miraretur.* — In fragmento quod Claudio Quadrigario tribuendum videtur, a Gellio IX 11 allato (Peter hist. Rom. rell. p. 211): *per contemptum et superbiam circumspiciens despiciensque* (‚*in stolzer Verachtung*'). Ex reliquis quoque Ciceronis scriptis nonnulla exempla iis, quae Draegerus § 311, 9 cumulavit, adicio: Verr. I 91 *sodalis istius erat in hoc morbo et cupiditate* (‚*krankhafte Begierde*'). § 94 *vocem cum dolore et querimonia emittere* (‚*schmerzlich klagend*'). or. Phil. II 107 *metum credo valuisse et arma* (‚*Furcht vor den Waffen*'). de or. I 34 *moderatione et sapientia.* de nat. d. I 22 *signis et luminibus* (‚*leuchtende Sterne*' cf. Goethium ad h. l.). II 150 *commissurae et artus* (‚*Verbindung der Gelenke*' Goethius). III 24 *reversione et motu* (‚*periodische Erschütterung*' Goethius). de rep. IV 9 *clamor et adprobatio.* Ex Varrone et Cornificio huius usus testimonia afferre non possum.

§ 8. Additur per copulam *et* notioni generali specialis et vice versa: de inv. I 19 *generis et familiae.* I 109 *virtus et magnificentia.* II 19 *verbis et sententiis.* II 79 *me et populum Romanum.*

§ 9. Si substantivo uni duo adiectiva tribuuntur, quorum prius est *multus*, inter haec intercedit particula *et:* Cornif. IV 29 *ea multis et variis rationibus conficitur.* Nos in eiusmodi exemplis copulam omittere solemus: ‚auf viele verschiedene Weisen'. de inv. I 6 *multis et magnis ex rebus.* I 77 *rationibus ... multis et obscuris.* pro Rosc. Am. 22, 62 *multa et manifesta.* pro Font. § 44 *multis et firmis praesidiis.* de leg. agr. II 95 *multis et variis sermonibus.* Sed adhibet Cicero etiam reliquas particulas, imprimisque voculam *que:* pro Rosc. Am. 46, 133 *e multis splendidisque familiis.* pro Marc. 11 *multo magnoque comitatu.* de or. II 3. ep. XIII 43. *atque (ac):* de imp. Cn. Pomp. 23 *rationes multae atque magnae.* Verr. II 122. — In Varronis libris modo unum huius usus exemplum inveni: de l. l. VIII 3 *habet suas permultas ac magnas partes.*

Haud raro tamen copula abest, cuius rei variae sunt causae: pro Mur. 42 *multi viri fortes;* pro Flacco 86 *multi viri boni;* in his duo adiectiva secreta sunt substantivo. Aliis locis substantivum et adiectivum quasi in unam notionem coeunt: Verr. I 91 *multos formosos homines*, pro Cael. 10 *multi boni adulescentes*, epist. IV 9, 3 *multis claris viris.* de legg. II 43 *multis bonis viris*, pro Arch. 30 *multi summi homines*, de fin. II 55 *multi amplissimi viri.* — Pro substantivo positum est alterum adiectivum in his: pro Sest. 58 *multa turpia, multa turbulenta habuit ille annus.* de fin. III § 17 *multa turpia.* post. red. in sen. 33 *multis bonis esse pereundum.*

§ 10. Etiam pronomina negativa haud raro cum particula *et* componi Ringius p. 14 multis exemplis comprobavit. Adhibentur enim tales compositiones, si non tota sententia, sed una notio negatur aut vis negationis augetur. In Varronis libris unum exemplum repperi: de l. l. VI 95 *et nihil.* Multo frequentiore in usu particula ante simplicem negationem *non* est: Corn. IV 34 *non sensi hoc et non suasi, neque suasi et non ipse statim facere coepi, neque facere coepi et non perfeci, neque perfeci et non probavi.* ib. II § 14. IV 9. de inv. I § 42: *sapere et non sapere.* II § 50 *oportere et non oportere* (septies

legitur). II § 35 *si ostendet aliqua eius nota et non communia officia.* I 6, 8. 15, 20. 20, 28. 36, 64. II 29, 88. 47, 140. 58, 176. Varro de l. l. VI 77 *poeta facit fabulam et non agit*, *contra actor agit et non facit.* IX 90 *quodsi miscuerit et non secutus erit analogias reprehendendum.* VII 10, 17. VIII 71. IX 9, 85, 50. de r. r. II 10, 6 *qui in saltibus et silvestribus locis pascunt et non villa*, *sed casis repentinis imbres vitant.* II 2, 14. I 30. I 1, 2. Sat. Menipp. ed. Buecheler p. 170, 82. — *que non* rarissime occurrit, ut ex Cicerone modo duos locos afferre possim: de or. I § 22 sq. *non complectar his libris amplius* ..., *repetamque non ab incunabulis ordinem praeceptorum.* de fin. V § 26 *ut iam liceat una comprehensione omnia complecti non dubitantemque dicere omnem naturam esse servatricem sui;* hoc loco *non dubitans* quasi una est notio. (cf. de div. I 125 *hoc non dubitans dixerim.* ep. V 16, 4 *hoc tamen non dubitans confirmare possum.* cf. Madvig. de fin. V 26 p. 650 edit. III).

§ 11. Seiungendi ab his locis sunt ii, in quibus per voces *et non* notiones vel sententiae corriguntur, quod tum potissimum fit, cum enuntiata praecedunt a coniunctionibus *si*, *quasi*, *tamquam* incipientia. Varro de l. l. VIII 71 *quaerunt si sit analogia*, *cur appellant omnes aedem Deum Consentium et non Deorum Consentium.* pro Cluentio § 34 *si haec solutio legatorum et non merces abortionis appellanda est.* pro Mur. § 75 *quasi vero esset Diogenes Cynicus mortuus et non divini hominis Africani mors honestaretur.* pro Planc. § 61. 70. 71. Tusc. I § 13.

§ 12. Saepe in verborum oppositorum coniunctione particula copulativa invenitur, ubi adversativam *sed*, *autem*, *et tamen* exspectamus. Sed in eiusmodi locis *et* vim habere adversativam non recte dicitur. Nam oppositio in ipsis verbis, non in particula posita est, quae opposita conectit. Romanorum tamen ratio exprimendi alia est atque nostra. Illi enim verba, quae pro se quidque valent, modo simplici copula coniuncta significant, nos interiorem conexum exprimentes adversativam particulam ponere solemus. Rectius igitur dicemus nos lingua vernacula saepe *et* particula adversativa reddere posse. Exemplorum quae

Draegerus § 311, 10 collegit, numero alia addo: de inv. II 10, 33 *si avaritia inductum arguas fecisse et avarum, quem accusas, demonstrare non possis.* II § 95 *cum id fecerit, quod non oportuerit, et id non oportere nescierit, sitne supplicio dignus?* II § 141. pro Rosc. Am. 4, 10 *sin a vobis deserar, tamen animo non deficiam, et id quod suscepi, quoad potero, perferam.* or. Phil. II 81 *si augur non esses et consul esses.* Varro de l. l. V 61 *natura ad nascenda cum imbre et frigore luctare non volt et potius ver expectat.* IX 33 *qui negant esse rationem analogiae non vident naturam non solum orationis, sed etiam mundi; qui autem vident et sequi negant oportere, pugnant contra naturam.* V 2 *in quo non debet pertendi et pertenditur.* de r. r. I 18, 1 *ita fit ut, si Saserna dicit verum, ad C iugera iugum opus sit, si Cato, ad octogena. sed ego neutrum modum horum omnem ad agrum convenire puto et utrumque ad aliquem.* I 51, 1 *(aream esse oportet) ... mediam paulo extumidam ut, si pluerit, non consistat aqua et quam brevissimo itinere extra aream defluere possit.* — Plerumque in his exemplis particula *et* notionem aut sententiam negativam sequitur.

§ 13. Saepe per copulam *et* aliquid adicitur, quod antecedentem notionem aut sententiam illustrat atque explicat, et nonnumquam ita, ut prius vocabulum repetatur. Nostra lingua in eiusmodi locis particulam vertimus ‚und zwar'. Frequentissime hoc *et* explicativum legitur ante pronomen *is.* de r. r. II 8, 4 *hos pascimus praecipue faeno atque hordeo et id ante admissuram et largius facimus, ut cibo suffundamus vires ad feturam.* II 9, 16 *villatico gregi in fundo satis esse duo (sc. canes), et id marem et feminam.* II 10, 1. II 1, 20. III 7, 9. I 7, 7. I 20, 2. III 16, 34. I 20, 3 *instituendum ut (iuvenci) inania primum ducant plaustra et, si possis, per vicum aut oppidum.* II 7, 2. de l. l. IX 33 *qui vident et sequi negant oportere, pugnant contra naturam, non contra analogiam et pugnant volsillis, non gladio.* — Cornif. I § 10 *ab adversarii exordiemur et ab eo maxime, quod ille nuperrime dixit.* Hunc locum Cicero imitatus est de inv. I § 25 *ab adversarii dicto exordiri et ab*

*eo potissimum quod ille nuperrime dixerit.* – Corn. III § 40 *numquam est enim, quin aliquid memoriae tradere velimus et tum maxime cum aliquo maiore negotio detinemur.* III 36 *eclipsis solis mirantur, quia raro accidunt et solis eclipsis magis mirantur quam lunae, quod hae crebriores sunt.* Ex Cicerone pauca exempla addo iis quae Handius II p. 477 sq. et Draegerus II § 311, 7 congesserunt: de inv. II § 125. pro Quinct. 4, 14 *moritur et moritur repentino.* pro Rosc. Am. 6, 19 *Ameriam nuntiat Mallius Glaucia quidam ... et nuntiat domum non filii, sed T. Capitonis inimici.* Verr. I § 13 *putat esse iudicium et recte putat.* II 177 *producam testis et producam pluris.* de leg. agr. II § 84 *possidetur a plebe et a plebe optima.* Catil. I § 6 *vives et vives ita.*

§ 14. Etiam in comparationibus particula *et* adhibetur, sed rarius quam *atque* vel *ac.* Varro de r. r. II praef. 4 *alius enim opilio et arator.* — Post vocem *idem.* l. l. V 23 *Terra ut putant eadem et Humus.* VII 14 *Signa dicuntur eadem et Sidera.* IX 3 *non eadem (sc. analogia) oratoris et poetae.* — Cic. de inv. II § 141 *quam indignum sit eodem affici supplicio eum, qui propter aliquod scelus et audaciam contra leges fecerit et eum qui honesta de causa ab litteris legis recesserit.*

§ 15. Nonnumquam *et* in sententia negativa ponitur ita ut duae notiones coniunctae uni negationi subiciantur. Varro de l. l. V 12 *neque unquam tempus quin fuerit motus ... neque motus, ubi non locus et corpus.* VIII 58 *ab Amor Legor et eiusmodi verbis vocabulum eius generis praeteriti fit ut Amatus eram, sum, ero, neque praesentis et futuri ab his fit.* Sat. Menipp. Buech. p. 206, 417 *nulla ambrosia ac nectar, non alium et sardae.* Cic. pro Scauro 38 *in quibus nullam fidem et auctoritatem esse.* Phil. I § 29 *credo enim vos ... non pecuniam ..., non opes violentas et populo Romano minime ferendam potentiam ... occupavisse.* — Sed occurrit etiam *atque (ac).* Varro de r. r. II 5, 8 *corium tactu non asperum ac durum.* III 14, 1 *nec de cochleis ac gliribus quaero.* de l. l. VIII 55. Cic. pro Quinct. § 87 *defensum esse contendi non ab homine*

*alieno neque ab aliquo calumniatore atque improbo.* de or. I § 18 *neque legum ac iuris civilis scientia neglegenda est.* parad. VI 52 *non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.*

## II. De enuntiatis per ‚et' particulam copulatis.

§ 1. Atque apud Varronem quidem hac particula longe saepissime enuntiata adnectuntur: de l. l. VIII 48 *Et in multitudine ut unum significat Pater, plures Patres, sic omnia debuerunt esse bina.* § 55 *Et sicut est ab Uno Uni, sic ab duobus Duini, non Bini diceretur.* r. r. II 11, 3 *Et etiam est discrimen utrum casei molles ac recentes sint an aridi et veteres.* III 7, 9 *itaque diebus quadragenis concipit et parit et incubat et educat. Et hoc fere totum annum faciunt.* II 2, 17 *Et sic nutricantur quoad facti sunt quadrimestres.* I 5, 9 *Et ideo oporothecas qui faciunt ad aquilonem ut fenestras habeant curant.*

§ 2. Interdum *et* in initio enuntiatorum ponitur, per quae aliquid inopinati vel subiti infertur: Sat. Men. Buech. p. 177, 141 *et ecce de improviso ad nos accedit cana Veritas, Attices philosophiae alumna.* de r. r. II 11, 12 *Illi hoc, neque ab hoc quod mutaret Cossinius. Et simul Vituli libertus in urbem veniens ex hortis devertitur ad nos.*

§ 3. Haud raro particula *et* interrogationes et exclamationes inducuntur, in quibus admiratio aut indignatio quaedam inest: Sisenna hist. l. IV. (Peter p. 292, 113) *Armis, equis, commeatibus nos magis iuverunt, exleges: et minus honore dignos putabitis?* Cic. pro Cluent. 30 *et est quisquam, qui cum haec cognoverit, suspicari possit ...?* de leg. agr. II 69 *et vos dubitatis quin vectigalia vestra vendatis?* pro Flacco 83 *et eum tu accusas avaritiae, quem dicis sestertium viciens voluisse perdere?* de domo sua 85. or. Phil. II 110. XII 11. XI 10 *Et hic, di immortales, aliquando fuit meus!* de finib. II 102 *Et ego id scilicet nesciebam!* — Ex Varronis libris tale exemplum afferre non possum.

§ 4. Inseruntur per particulam *et* interpositiones vel parentheses explicativae. Draegerus § 311, 8 modo unum eiusmodi locum Ciceronianum offert, sed extant plures: pro Caec. 24 *ferro, inquit, ferro — et hoc dicit in iudicio — te reieci atque proterrui.* de fin. III 73 *haec sine physicis, quam vim habeant — et habent maximam — videre nemo potest.* Tusc. V 63 *adhuc neminem cognovi poetam — et mihi fuit cum Aquinio amicitia — qui sibi non optimus videretur.*

§ 5. a) Varro imprimis in initio enuntiatorum, quae particulis *quoniam* et *cum* adseruntur, *et* ponere amat: de l. l. VI 97 *desistam, et quoniam de hisce rebus tris libros ad te mittere institui ... deinceps in proximo de poeticis verborum originibus scribere incipiam.* VIII 56 *et quoniam similia nomina sunt Asia Lybia, dicemus Asiaticos et Libyaticos homines.* de r. r. I 1, 4 *et quoniam, ut aiunt, dei facientes adiuvant, prius invocabo eos.* I 23, 1 *Et quoniam habemus illa duo prima ex divisione quadripertita .. de tertia parte exspecto.* I 27, 1. II 1, 21. Sat. Menipp. p. 172, 90.

b) de l. l. X 14 *et cum nisi in his verbis quae declinantur non possit esse analogia, qui dicit simile esse Mox et Nox errat.* § 36 *et cum eadem ratio sit in Amores et Amorum. (ac cum* legitur de l. l. IX 26 *ac cum sex horis aestus creverunt).* Apud Ciceronem quoque hunc usum late patere satis constat.

c) Enuntiata condicionalia et Varronis et Cornificii libri fere semper particula *et* adiuncta ostendunt: de l. l. VI 53. VII 5. VIII 78. de r. r. II 1, 20. 26. II 2, 5. 9, 16. 11, 7. Cornif. I 5, 8. 9, 14. II 19, 30. IV 8, 11; per *atque, ac* de l. l. VI 1 *atque si qua erunt.* sat. Men. p. 181, 178 *atque si addam, quanto misericordia mea heredibus meis stet.* Cornif. III 4, 8 *ac si.* Sed et Cicero in horum enuntiatorum adiunctione saepissime *et* usurpat.

d) Quod de enuntiatis condicionalibus dixi, etiam in reliqua cadit. Nam ut paucis rem absolvam: sententiae a coniunctionibus incipientes a Varrone fere sola copula *et* adnectuntur. Excipiuntur pauci loci: de l. l. VI 63 *sermo ne sit confusus*

*atque ut diluceat.* de r. r. I 59, 1 *ut fenestras habeant atque ut eae perflentur curant.*

§ 6. Haud infrequens est usus particulae *et* in conclusionibus, ubi assumptionem vel propositionem minorem inducit, ita ut pro *atqui* posita sit: de nat. d. I 110 *virtus autem actuosa, et deus vester nihil agens, expers virtutis igitur.* de div. II 125 *si pleraque somnia aut ignorantur aut negleguntur, aut nescit hoc deus aut frustra somniorum significatione utitur; et horum neutrum in deum cadit: nihil igitur a deo somniis significari fatendum est.* Sic enim codices, Christius in ed. Orell. Victorium secutus *sed* scripsit. de legg. I 33 *Quibus ratio natura data est, isdem etiam recta ratio data est, ergo et lex, quae est recta ratio in iubendo et vetando: si lex, ius quoque. Et omnibus ratio, ius igitur datum est omnibus.* Eodem modo, si propositio minor negativa est, *nec* usurpatur [1]).

In Varronis libris modo semel hic usus occurrit: de l. l. VIII 38 *si est in oratione* (sc. analogia), *aut in omnibus eius partibus est aut in aliqua; et in omnibus non est, in aliqua esse parum est, ut album esse Aethiopa non satis est, quod habet candidos dentes; non est ergo analogia.*

§ 7. Interdum denique particula *et* post negativam sententiam adnectit affirmativam, ubi nos adversativam ponimus: C. Gracchus in oratione de legibus promulgatis: *ut pateremini hoc tempore me quiescere, ne a stirpe genus nostrum interiret et ut aliqua propago generis nostri reliqua esset* (Meyeri or. Rom. fr. p. 234 ed. II. ex schol. Bob. in Cic. oratt. p. 365 ed. Orell.). Varro de r. r. I 12, 3 *ne in eam partem spectet villa, e quibus ventus gravior ex iis partibus adflare soleat neve in convalli cava et ut potius in sublimi loco aedifices.*

---

1) de nat. d. III 34 *Innumerabilia sunt, ex quibus effici cogique possit nihil esse quod sensum habeat quin id intereat; etenim ea ipsa, quae sentiuntur ut frigus, ut calor, ut voluptas, ut dolor, ut cetera, cum amplificata sunt, interimunt; nec ullum animal est sine sensu, nullum igitur animal aeternum est.* etiam II 21. de finib. V 81.

## III. De particula ‚et' pro ‚etiam' posita.

Hic usus apud Cornificium bis observatur et quidem ante pronomen: III 29 *quare et illis, qui natura memores sunt, utilis erit haec institutio.* IV 37 *de pueritia tua dicerem, si hoc tempus idoneum putarem: nunc consulto relinquo; et illud praetereo, quod te rei militaris infrequentem tradiderunt.* — Sisenna hist. lib. IV. (Peter p. 290, 90 ex Nonio) *simul et tormenta contenduntur.* Muellerus in Nonii ed. I. p. 402 *et* delet. In alio fragmento fortasse Sisennae tribuendo (Peter p. 296, 136 ex Nonio) legitur: *simul et senatus consultis clarissimis amplificati.* Muellerus in ed. Nonii II p. 106 *et* in *ec* mutat. Sed utroque loco *et* servari posse puto. Nam cum voce *simul* compositum *et* saepe particulae *etiam* vice functum esse videtur, neque id solum ante pronomen. Occurrunt enim etiam tres loci Ciceroniani (non unus, ut Hellmuthius, Act. sem. phil. Erlang. I p. 151 putat), ubi locutionem *simul et* verbo praepositam invenimus. Verr. IV 136 *simul et verebar.* ad Att. V 21, 4 *Angunt me dubitationes tuae; simul et vides, quas exceperim litteras.* ib. VIII 14, 2: *Simul et elicere cupio sententiam tuam.*

Neque Varronis libri pauca huius usus exempla offerunt: de l. l. V 53 *Quartae regionis Palatium, quod Palantes cum Euandro venerunt, qui et Palatini.* § 143 *Quare et oppida quae prius erant circumducta aratro ab orbe et urvo Urbes.* VI 13 *Februm Sabini purgamentum, et id in sacris nostris verbum; nam et Lupercalia Februatio ut in antiquitatum libris demonstravi.* VI 55 *ab eodem Falli, sed et Falsum et Fallacia.* VII 74 *Triones enim et boves appellantur a bubulcis etiam nunc maxime cum arant terram.* VII 95 *dictum Mandier a mandendo, unde Manducari, a quo et in Atellanis obesum vocant Manducum.* Nam sic recte scripsisse videtur Spengelius pro *et a quo*, quod libris traditur. de Varronis libris grammaticis p. 146 (ed. Wilmannsius): *quis item asperitatem non et ipso nomine asperam iudicet?* X 55 *Itaque et hi, qui de omni*

*natura disputant ... ostendunt.* — de r. r. I 37, 5 *quaedam si bubus et aratro prosciderls, et iterandum, antequam semen iacias.* 41, 4 *ea, quae laxiora, et fecundiora.* II praef. 6 *quod eo facilius faciam, quod et ipse pecuarias habui grandes.* 1, 24 *nam et qui parat pecus necesse est constituat numerum.* 9, 5 *itaque et a regionibus appellantur Lacones, Epirotici, Sallentini.* III 9, 21: *quidam et triticeo pane farciunt.* 14, 1 *nam et idoneus sub dio sumendus locus cochleariis.* 17, 1 *quod et candidatum nostrum venturum sciebamus.* Praeterea Keilius in commentario p. 61 affert II 8, 4 *hos pascimus praecipue faeno atque hordeo et id ante admissuram et largius facimus.* II 2, 14 *deterrent ab saliendo et fiscellas e iunco aliave qua re quod alligant ad naturam.* Hanc lectionem codicum auctoritate fultam, cum in editione minore *et* uncis inclusisset, in commentario p. 150 Keilius restituit. — III 14, 3 in maiore editione scribit: *denique ipsae exgruminantes (sc. cochleae) ad propolam vitam diu producunt*, in minore probabilem coniecturam ponit: *et ruminantes*, ut sensus sit: 'cochleae etiam sine pabulo ruminantes ad propolam diu vivunt'. cf. comm. p. 280.

Ex scriptis Ciceronis exempla cumulare supersedeo, apud quem hunc usum late patere constet. Tres modo locos profero, quibus *et* pro *etiam* nomini proprio legitur praepositum. Sumpti sunt ex epistulis: ad Att. XIII 37, 4 *Velim, si tibi videtur, appelles Balbum et Offilium de auctione proscribenda. Equidem locutus sum cum Balbo. Placebat. Puto conscripta habere Offilium omnia; habet et Balbus; sed Balbo placebat propinquum diem.* — ad Att. XIV 9, 3 *Et Balbus hic est multumque mecum.* — ad Quint. fr. II 15, 3 *M. Curtio tribunatum ab eo petivi — sed in alterum annum. Id et Curtius ita volebat.*

Saepe etiam formula *et etiam* occurrit. Ex libris de re rustica compositis Draegerus § 313 tres locos affert: II 7, 2 *aetas cognoscitur et equorum et fere omnium, qui ungulas indivisas habent et etiam cornutarum.* III 9, 9 *itaque quae ante aut post nata erant et etiam prima eo tempore non supponenda.*

II 4, 10 *prisci quoque Latini et etiam Graeci.* Sed hoc exemplum non recte affert, nam *et* in codicibus non est. Addo I 17, 2 *quos obaeratos nostri vocitarunt et etiam nunc sunt in Asia atque Aegypto et in Illyrico complures.* I 48, 1. I 59, 3. II praef. 5 *qui habet praedium, habere utramque debet disciplinam, et agriculturae et pecoris pascendi et etiam villaticae pastionis.* II 11, 3. — In libris qui sunt de lingua latina haec formula nusquam legitur. — Iis quae Draegerus § 313 ex Cicerone enumeravit adicio haec: pro Sulla § 23 *fateor et addo etiam.* pro Sest. 100 *et ipsi etiam.* harusp. resp. 45. pro Sest. 54. 144. pr. Cael. 14. p. Planc. 9. Phil. XIII 37. XIV 15; plerumque Cicero vocem interposuit. Ad comparativi gradationem *etiam* adiectum est: Verr. III 147 *et pluris etiam.* IV 140 *omnia perscripta et plura etiam quam ego potui dicere.* ad Att. I 17, 1 *et vehementius etiam.* VII 3, 7 *et plus etiam.*

Sed de usu particulae *et* satis dictum est: procedamus ad vocem

## *Que.*

### I. De collocatione particulae ‚que'.

§ 1. Si per particulam *que* sententiae aut sententiarum membra adiunguntur, particula in iis quae perquisivi scriptis fere semper primo sententiae adiectae nomini applicata est. Excipiuntur pauci loci Ciceroniani qui extant pro Flacco 5 *quem tot tam gravesque provinciae salvum esse cupiant.* or. Phil. VIII 27 *tam diuque.* de or. III 13 *tot tantos tam praecipitesque casus.* 124 *in hoc igitur tanto tam immensoque campo.* Brut. 26 *iam diuque.* Tusc. V 72 *tot tam variisque virtutibus.* Hoc Kuehnerus (Ausfuehrl. Gramm. d. lat. Spr. § 152, 1) inde explicari recte iudicat, quod voces *tam* et *iam* cum verbo sequenti quasi in unam notionem conglutinatae sint. Nonnullas iuncturas ex epistulis sumptas addo, de quibus idem valet: epist. III 9, 4 *quam honorificentissime quam primumque.* XIII 11 *quam commodissime administretur quam primumque conficiatur.*

ad Quint. fr. II 7 *fac ut valeas quam primumque venias.* ad Att. I 8 *quam plurima quam primumque.* Tusc. IV 83 *ea reque suscepi. eare* una vox est ut *quare.*

§ 2. Praeterea particula saepe mutat sedem, si primum locum praepositio obtinet. Atque inscriptiones quidem vetustissimae et Plauti comoediae semper *que* praepositioni adnexum exhibent. Adiungitur autem in inscriptionibus praepositionibus *cum, in, de, extra, pro, ex, (ad)* [1]; apud Plautum his: *circum, cum, pro, per, sine.* Terentius [2]) modo ter, et repetitae quidem praepositioni *que* adicit: Heaut. 811 *cum — cumque, per — perque* Andr. 290. 540; apud Catonem *circumque* (de agr. 46, 1) et *proque* (de agr. 146, 3) occurrit. — In fragmento quod Claudio Quadrigario tribuendum videtur (Peter p. 211): *perque contemptum et superbiam.* Sisenna hist. l. VI. (ex Nonio sumptum, Peter p. 294, 125) *Marius ostio Liris evehitur adque Aenariam suos continuatur.* De hoc loco ambigi potest. Nam cum in codicibus *atque* et *adque* saepe confundantur, incertum est, utrum scribendum sit. Potest enim *atque* poni, quod Aenaria parva insula est. — In Cornificii porro libris particula *que* semel praepositioni adiuncta invenitur II 43 *inque eiusmodi vitio considerandum est.* Apud Varronem numquam praepositioni adhaeret, sed semper nomini sequenti applicata est: de r. r. I 13, 4 *in eoque.* I 23, 6 *in ordinemque.* III 19, 13 *ab eaque.* de l. l. V 22 *ab eoque.* Omnino apud veteres oratores, historicos, Cornificium, Varronem ante praepositiones frequentissimo in usu est particula *et.*

Sed ut iam ad Ciceronem procedamus, *que* his praepositionibus adicit: *de, cum, ex, pro, per, in, intra, infra, circum, propter*, ac longe saepissime voculae *de.* Praeterea si praepositio repetitur: *sineque, praeterque, contraque* (fere semper) occurrit. Quod G. Landgrafius [3]) observavit *que* praepositionibus *in* et *ex* non nisi sequente pronomine demonstrativo —

---

1) Elmer p. 13. — 2) ibid.

3) Ciceros Rede für Sext. Roscius aus Ameria. Erlangen 1882. p. 337.

quamquam de rep. I § 67 *inque tanta libertate* legitur — adnecti, maximam partem etiam de iuncturis *deque*, *proque*, *cumque* dici potest.

§ 3. Semel in veterum historicorum reliquiis vocabulo quinque syllabarum, semel sex syllabarum particula *que* adhaeret: Cn. Gellius l. XXXIII. (Peter p. 173, 26): *eius ossum expurgaverunt inauraveruntque.* Fab. Maximus ann. I. (Peter p. 144, 1) *agrum macerrimum litorosissimumque.* Etiam ex Varrone modo unum exemplum afferre possum, in quo sex syllabarum voci *que* adiectum est: de r. r. I 23, 4 *delectationemque.* Quod contra in Ciceronis scriptis *que* haud raro ad ambitum syllabarum sex aut septem atque in libris rhetoricis et philosophicis etiam octo adnexum videmus: Div. in Caec. 21, 71 *laboriosissimeque.* Verr. II 94 *familiaritatisque.* de or. I 219 *ingeniosissimorum otiosissimorumque.* Brut. 240 *exercitationibusque.* de nat. d. I 73 *innumerabilitatemque.*

§ 4. Sed his quaestionibus gravior alia est. Quaeritur enim utrum copula *que* adiungi possit ad voces in *e* breve exeuntes necne. Atque in inscriptionibus antiquissimis verbo in *e* correptum exeunti non adicitur nisi infinitivis activi generis, qui hac sola coniunctione copulantur. Sin autem duorum verborum per copulam *que* compositorum alterum litteram *e* finalem brevem habet, id ipsum anteponitur (C. 198, 11 *quaestione iudicioque*) et *que* sequenti verbo adhaeret [1]). Catonis libri paucas eiusmodi compositiones afferunt: *beneque* quinque locis et quidem uno ante vocalem: (de agr. 3, 5. 39, 1. 45, 1. 67, 1. 141, 2), *saepeque* in orig. fragmento quod tradit Gellius III 7; *bibere cenareque* de agr. 156. In Turpilii versu (Ribbeck com. fragm. ed. II. p. 105, 161),

*delegere despoliare opplereque adeo fama ac flagitiis.*

In Varronis porro scriptis septem exempla inveniuntur, quorum tamen modo duo ei ipsi tribuenda sunt: de r. r. II 1, 13 *scire oportet qua aetate quamque pecudem parare habereque expediat;* sat. Menipp. p. 187, 242: *haec lanigeras detonderi docuit*

1) Elmer p. 11 sq.

*tunicareque homullum;* nam de r. r. I 2, 28 *bibere cenareque* ex Catonis de agricultura libri c. 156, 1 sumptum est. de r. r. II 2, 6 *habereque*, quod etiam II 3, 5. II 4, 5 legitur, et de l. l. VI 86 *quod bonum fortunatum felix salutareque siet* in veteribus formulis extat.

Accuratius nuper A. Harantius (revue de phil. IV 1890 p. 25—29) hanc quaestionem tractavit ac satis magnum et orationis solutae scriptorum et poetarum numerum examinavit. Atque apud Sallustium, Livium, Velleium Paterculum, Q. Curtium, Plinium, Florum, Iustinum, in Ciceronis orationibus, apud Catullum, Vergilium, Ovidium, Phaedrum, Persium, Iuvenalem nusquam particulam *que e* brevi adiectam se repperisse profitetur; unum exemplum offerre Terentium, Horatium, Caesarem; bina Columellam et Propertium; tria Tibullum; quattuor Catonem (qui septem habet), quinque Cornelium Nepotem, quattuordecim Plauti comoedias. Sed de Livio cum viro docto Francogallico non consentit H. J. Muellerus[1]), qui II 33, 7 *caedeque*, XXI 39, 2 *tabeque*, XLI 23, 6 *manereque* servandum esse censet. Maiore errore illius commentationis scriptorem in iis, quae de Ciceronis usu protulit, lapsum esse alius vir doctus Francogallus E. Thomas, qui in Ciceronis usum denuo inquisivit, exemplorum copia demonstravit (revue de phil. VIII 1884 p. 132 sqq.). Cui prorsus assentior. Nam Ciceronis scripta omnia perlegenti mihi circiter quinquaginta loci apparuerunt, quibus *que* voci in *e* breve exeunti adiunctum est. Exemplis a Thomasio allatis addo haec: part. or. 126 *communeque sit*, de fato 48 *sustulisseque motus*, de div. II 26 *omneque quod*, de fin. V 28 *necesseque est*, de div. I 49 *praecepisseque ut*, ep. XI 14 *Caesareque ad.* Brut. § 205 *saepeque ex*, de or. II 322 *benevolos beneque existimantes.* Brut. 322 *bene factorum beneque dictorum.* de off. III § 35 *villam bonam beneque aedificatum*, de div. I 118 *male coniecta maleque interpretata.*

1) In mus. Rhen. vol. 43. 1888. p. 637 sq.

Adnotandum tamen est in orationibus rarius eiusmodi iuncturas legi neque ullo loco *que* infinitivo activi generis adhaerere. Idem fere de scriptis rhetoricis valet, quae unum infinitivum cum *que* particula coniunctum exhibent: de or. I 236 *esse posse fuisseque plurimos.* Latissime vero hic usus in libris philosophicis patet, quae omnino maiorem dicendi neglegentiam et licentiam ostendunt. Nimiam tamen syllabarum correptarum frequentiam Cicero evitavit, cum modo semel tertiae coniugationis quae vocatur infinitivus cum *que* compositus inveniatur: de fin. IV § 25 *diligere constituereque ex.*

Ceterum in magna talium compositionum parte aures minus laeduntur, quod particulam verba a vocali incipientia sequuntur.

Neque Caesaris commentarios eorumque, qui de bello Africano et Alexandrino scripserunt, libros talibus compositionibus carere Dosson (revue de phil. XIV 1890 p. 55 sq.) ostendit. Seneca infinitivo activi generis *que* numquam adnexuit, quod Klammerus docet.

§ 5. Adhaeret *que* etiam verbis Graecis: ad Att. XII 4 *ψιλῶςque.* XIII 51 *πρὸς ἴσον ὁμοιόνque.* XV 13, 6 *προσφωνοῦμενque.* cf. Lucil. l. V 13 *quod πεχνιόν Eisocratiumst ληρῶδεςque simul totum ac συμμειρακιῶδες.* Auson. epigr. LXXIV (rec. Schenkl) *κύστιν κόστονque.*

## II. De raritate particulae ‚que' apud Cornificium et in Ciceronis de inventione libris conspicua.

§ 1. Si revertimur ad numeros, quos p. 3 sqq. de frequentia singularum copularum attuli, in libris Cornificianis maxime miramur particulae *que* raritatem. Nam ut iterum eos apponam, *et* 767, *que* tantum 20 locis legitur. In quo notandum est longe plurimis locis pronominibus et adverbiis hanc voculam adnexam inveniri: II 30, 49 *(quae ... quaeque)* et II 31, 50 *(quibus ... quibusque)* in figura anaphorae. — II 31, 50 *tuaque.* II 7, 10 et IV 43, 55 *idemque.* II 7, 10 et II 13, 20 *idque,* quod valet ‚und zwar'. I 11, 19 *ceteraque.* III 7, 13 *ordine dicemus ut quid quamque tute egerit intellegatur.* II 23, 35. III 22, 35

*itemque*, quod ab eadem radice atque pronomen *is* profectum est. II 24, 38 *propterea que.* IV 3, 6 *contraque.* IV 11, 16 *magis magisque*, quae formula etiam apud alios scriptores usitatissima est. Bis notiones cognatae per hanc voculam coniunguntur: I 2, 3 *viam rationemque dicendi* (Cic. pro Cael. 50; de or. I 205. III 145). ib. *usus consuetudoque.* Tertium membrum adicit *que* III 4, 7 *omnibus civibus*, *exteris nationibus posterisque nostris.* Semel praepositioni adhaeret II 27, 43 *inque.* Denique occurrit I 10, 18 *spes vincendi ratioque persuadendi posita est in confirmatione et confutatione. nam cum adiumenta nostra exposuerimus contrariaque dissolverimus, absolute munus oratorium confecerimus.*

§ 2. Si cum Cornificii opere Ciceronis libros de inventione rhetorica scriptos comparamus, eandem copulationis proprietatem reperimus. Nam in his quoque longe maxime praevalet particula *et*, rarissime *que* occurrit: ponitur enim *et* 984, *que* undecim locis. Quod casu factum esse non credo, praesertim cum ab omnibus reliquis Ciceronis scriptis tanta usus discrepantia absit. Immo, non dubium est, quin Cicero in copulandi ratione Cornificium secutus sit, cuius genus scribendi in multis aliis quoque rebus eum imitatum esse Thielmannus[1]) demonstravit. Sed quamvis paucissimis librorum de inventione locis vocula *que* inveniatur, ne in his quidem semper recte poni nuper Hilbergius[2]) contendit et facere non possum, quin viro docto in multis assentiar. Nam ut singulos locos examinemus, quae I 54, 104 leguntur fere ad verbum ex Corn. II 30, 49 deprompta sunt:

| de inv. I 104 | Corn. II 49 |
|---|---|
| *Decimus locus est, per quem omnia, quae in negotio sunt, quaeque post negotium consecuta sunt et q. s.* | *Decimus locus est, per quem omnia, quae in negotio sunt, quaeque rem consequi solent et q. s.* |

1) de sermonis proprietatibus apud Cornificium et in primis Ciceronis libris. Argentor. 1878.

2) Verhandlungen der 40. Vers. deutscher Philologen und Schulmänner zu Görlitz. Leipzig 1890, p. 369 sqq.

In iis quae de inv. I 18, 25 extant: *Exordium sententiarum et gravitatis plurimum debet habere et omnino omnia, quae pertinent ad dignitatem, in se continere, propterea que id optime faciendum est, quod oratorem auditori maxime commendat; splendoris et festivitatis et concinnitudinis minimum, propterea quod ex his suspitio quaedam adparationis atque artificiosae diligentiae nascitur, quae maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem* pro ‚*propterea que*' *propterea quod* scribendum esse vir doctus recte putat, nam et in Herbip. sec. m. et in Sangall. sec. m. traditur et bonum sensum praebet et cum sequentibus verbis *propterea quod* ... optime congruit.

I 16, 22 legitur: *Ab auditorum persona benevolentia captabitur, si res ab iis fortiter, sapienter, mansuete gestae proferentur, ut ne qua adsentatio nimia significetur, si de iis quam honesta existimatio quantaque eorum iudicii et auctoritatis exspectatio sit ostendetur.* Hoc loco Hilbergius *quantaque* ortum esse ex *quanta quae* suspicatur nisus Corn. I § 8, quem Cicero imitatur: *Ab auditorum persona benevolentia conligetur, si res eorum fortiter, sapienter, mansuete, magnifice iudicatas proferemus, si, quae de iis existimatio, quae iudicii exspectatio sit, aperiemus.* Verum Cicero non ad verbum Cornificium secutus est, sed copiosius ac verbosius illius verba pronuntiavit, atque ut *quam honesta existimatio*, sic *quanta* pro *quae* dixit, neque quod *quantaque* magis quam *quanta* posuit, quicquam habet offensionis, cum asyndeton quod vocatur multo minus amet quam Cornificius.

Duos locos I 34, 59 *diurnae nocturnaeque vicissitudines* et II 32, 98 *Cum rostratam navem in portu deprehensam lex publicarit cumque haec navis invitis nautis vi tempestatis in portum coniecta sit, oporteatne eam publicari* omittere possumus, cum in orationibus fictis inveniantur.

Sequatur II 7, 24 ubi legimus: *si ratio, adiutores, adiumenta ceteraque quae ad rem pertinent, defuisse alicui demonstrabuntur.* Paris. pr. m. *ceteraque* habet sine pronomine *quae.* Verum iam Baiterus vidit, quem Weidnerus secutus est, qui

voculam *que* delevit ex pronomine *quae* falso ortam. Duos tantummodo in his libris inveni locos, quibus post complura membra dissolute posita postremum, quod est *cetera*, adicitur per particulam *et*, et utroque loco ante sequens pronomen relativum: II 27, 41 *molestiam, iracundiam, amorem et cetera quae in simili genere versantur.* II 59, 177 *honos, pecunia, adfinitas, genus, amici, patria, potentia et cetera quae simili esse in genere intellegentur.* Praeterea duobus aliis locis ita dicitur *et cetera* ut *quae* succedat: I 28, 43 *et cetera quae solent consequi.* II 4, 15 *gladium et cetera quae secum attulerat.* — Fortasse male sonabant duae syllabae a littera *qu* incipientes.

II 5, 19 *accusator cum impulsione aliquid factum esse dicet, illum impetum et quandam commotionem animi adfectionemque verbis et sententiis amplificare debebit.* Hilbergius, cum vox *commotio* neque in antecedentibus neque in sequentibus usurpetur, *adfectio animi* et § 17 et § 19 in fine occurrat, *adfectionemque* ad explicandam vocem *commotionem* postea adiectum esse ratus delet. Quod non probo, sed a Cicerone ipso additum puto eoque magis, quod in iis scriptis, quae adulescens composuit, frequens abundantia quaedam sermonis et copia verborum apparet.

Progrediamur ad alium locum, in quo Hilbergius offendit: II 53, 160 *Prudentia est rerum bonarum et malarum neutrarumque scientia.* Delendum enim putat *neutrarumque,* cum neque alias addatur et codicum lectio incerta sit. Confert Corn. II 2, 3 *Prudentia est calliditas, quae ratione quadam potest dilectum habere bonorum et malorum.* de off. I 153 *(prudentia) est rerum expetendarum fugiendarumque scientia.* de fin. V 67 *prudentia (sc. cernitur) in dilectu bonorum et malorum.* Sed alio loco qui extat de nat. d. III 15, 38, quem et ipse affert Hilbergius: *prudentiamne deo tribuemus, quae constat ex scientia rerum bonarum et malarum et nec bonarum nec malarum* illud *neutrarumque* potius confirmari quam infirmari existimo. Atque rectissime vir doctus Heinius in ipso philologorum consessu contra illum monuit compositionem

notionum bona, mala, neutra (*οὐδέτερα*) prorsus cum Stoicorum doctrina congruere propterea que *neutrarumque* minime esse delendum. Stoicos autem Ciceronem hoc loco sequi etiam quae antecedunt docent: *Habet (sc. virtus) partes quattuor, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam;* haec enim est Stoicorum doctrina. Neque minus codices *neutrarumque* conservandum esse docent. Habent enim Paris. Herbipol. Sangall. Turicensis *utrarum*, Trossianus *utrarumque.* Lambinus *neutrarumque* bene coniecit.

Restat unus locus, quem Hilbergius mutare non audet: II 53, 161 *Religio est, quae superioris cuiusdam naturae, quam divinam vocant, curam caerimoniamque affert; pietas, per quam sanguine coniunctis patriaeque benevolum officium et diligens tribuitur cultus.* Sed *sanguine coniunctis patriaeque* Cicero aut poetae debere aut ipse per numeros scripsisse videatur, est enim pars hexametri, ad quod praeceptor doctissimus Birtius animum meum convertit.

Unum locum, quo *que* occurrit, Hilbergius omisit: II 72 (in exemplo a Cicerone disputationi inserto, quod etiam Cornificius I 24 exhibet): *Quidam imperator, cum ab hostibus circumsederetur neque effugere ullo modo posset, depactus est cum eis ut arma et impedimenta relinqueret, milites educeret; itaque fecit; armis et impedimentis amissis praeter spem milites conservavit.* Hoc loco nihil mutandum est. Ante verbum *facere* saepius *itaque = et ita* legitur: p. Cluentio 51 *itaque feci.* p. reg. Deiot. 19 *itaque fecisti.* de finib. III 9 *itaque fecimus.* ep. III 5, 3 *itaque fecissem.*

Hoc sane ex iis, quae protulimus, satis cognoscitur Ciceronem rarissime admisisse voculam *que*, et rarius quam primo obtuitu videtur, ut etiam Cornificium in hac re superaverit.

## III. De proprio particulae ‚que' munere.

### A. In coniunctione notionum.

§ 1. Sed ut ad munus huius particulae veniamus: ad constituendam artiorem notionum consociationem adhibetur.

a) Huc pertinet personae et rei compositio, qualem ostendunt haec exempla: pro Flacco 53 *in suos cives civitatemque.* de nat. d. III 67 *patrem patriamque fugiens.* ad Att. V 20, 6 *regem regnumque.* ep. XV 2 *regi regnoque.* Verr. V 177 *de iudiciis iudicibusque.* p. Planc. 3 *de re reoque.* de div. II 6 *a Platone philosophiaque.* — *ac* occurrit p. Balbo 25 *tu igitur, patrone foederum ac foederatorum.* — *et* Verr. I 55 *Philippum et Macedoniam subegit.*

b) Artiorem conexum etiam in his habes: Div. i. Caec. 37 *sociis ceterisque nationibus.* Verr. I 59 *socii nationesque exterae.* I 68. — Div. i. C. 7 *socii stipendiariique.* or. Phil. II 76 *municipia coloniasque.* idem III 13. V 36. — Verr. I 54 *cum exercitu imperioque.* de prov. cons. 15. — ib. § 5 *atque.* — de imp. Cn. Pom. 46 *imperator exercitusque.* — Verr. act. pr. 13 *nautae militesque.* id. act. sec. V 43. — *milites remigesque* Verr. I 87. — *remiges militesque* Verr. V 133. — Varro l. l. V 153 *pinnis turribusque.*

c) Res cohaerentes etiam contrariae esse possunt, quae particula *que* in artam societatem rediguntur. Bene illustrat hunc usum locus, qui extat de or. II 248: *haec sit prima partitio, quod facete dicatur, id alias in re habere, alias in verbo facetias; maxime autem homines delectari, si quando risus coniuncte re verboque moveatur.* Huic parti etiam subiungenda est trita illa formula *di hominesque*, in qua conversas voces legimus pro Rab. 15 *omnis homines deosque testor.* — Usurpantur tamen et reliquae copulae. *et* p. red. i. sen. 34. — *atque* Verr. I 25. de dom. 26. pro rege Dei. 12.

§ 2. Deinde in certis et sollemnibus locutionibus haec particula primum locum occupat, etiamsi reliquae non prorsus absunt. Multas eiusmodi compositiones Draegerus II p. 38 sqq. enumerat, quas pluribus et ex Cicerone et ex aliis sumptis augeo. Pro usitatissima formula, quae est *senatus populusque Romanus* etiam dicitur omisso adiectivo de leg. agr. I 11 *populi senatusque iudicio.* in Pis. 48 *iniussu populi senatusque.* de off. III 109 idem. — Catil. III 10 *Allobrogum senatui et populo.* § 11 *senatum Allobrogum populumque.*

Pro *domi bellique* de rep. IV 11 legitur *domi et belli.*

*Tempore locoque* Varr. r. r. I 39, 3. — *locis temporibusque* Div. i. Caec. 38.

Praeter sollemnem iuncturam *ferro igníque* pro Mur. 85 et Catil. II 1 ponitur *ferro flammaque.* — pro Flacco 100 *ferrum et flammam.*

*leges iudiciaque* Div. i. Caec. 37, 65, 68, 70. Verr. I 41. IV 30. 54. V 186. p. Mil. 6. de dom. 70. —*et* Verr. IV 32. 82. — *ac* p. Sest. 134. i. Pis. 99. Verr. III 98. Parad. 18. — *iudicia atque leges* de har. resp. 7. — *ius iudiciumque* p. Sest. 73. 76.

*imperium dicionemque* Verr. I 55. — *imperium potestatemque* Verr. III 45. — *cum potestate imperioque* Phil. I 18 (mutavit ordinem verborum, ne *que e* brevi adhaereret). — *imperium ac potestas* Verr. IV 10. V 124. de imp. Pomp. 35. — *imperium et potestas* Phil. II 53. — *imperium nomenque* Phil. II 82. pro Balbo 39. — *ac* Phil. II 79. p. Balb. 40.

*fori iudiciorumque* p. Rosc. Am. 88. — ib. 149 *fori iudiciique.* — Div. i. C. 41 *foro iudiciisque.*

*caput fortunaeque* p. Quinct. 94. p. Cael. 67. p. rege Dei. 1. — *ac* Div. i. C. 71. p. Cluent. 67. ep. V 11. — *et* p. Rosc. Am. 5. — *fortunarum et capitis* ep. XIV 4, 2.

*vita fortunaeque* Catil. I 33. Phil. III 1.

*bona fortunaeque* p. Rosc. Am. 141. Verr. I 113. 152. — *possessiones fortunasque* Verr. III 70. — *bona atque fortunae* Verr. II 67. — *bona et fortunae* Phil. IV 9.

*fama fortunaeque* p. Quinct. 8, 27, 33, 59, 76. Verr. act. pr. 17. p. R. Am. 25, 113. p. Rab. 1, 5. in Pis. 98 et saepius. — *ac* p. Quinct. 26. — *fortunas atque famam* p. Rab. Post. 25.

*fama vitaque* in Pis. 41. — *et* p. Rosc. Am. 15. *vita et fama* ib. 49.

*famae capitisque* Verr. II 28.

*more institutoque* p. Caec. 2. de leg. agr. II. 1. p. Mur. 1. de dom. 56. 134. Phil. XIII 14. — *et* p. Quinct. 63. — *atque* Verr. V 169. de fin. IV 61. de rep. II 56.

Frequentissimo in usu apud Ciceronem est compositio *dies noctesque;* admittuntur tamen etiam *et, ac, atque.* Hoc in textu qui vocatur nunc extare Landgrafius (ad § 6 or. p. Rosc. Am. p. 142) negat. Sed erravit. Legitur enim et in ed. Orell. II. et C. F. W. Muelleri de leg. agr. II 77. in Vatin. 26. — p. Cluent. 190: *dies omnes atque noctes.* p. Mur. 78 *consulem totos dies atque noctes de republica cogitantem.* Praeterea occurrit *diem noctemque* de leg. agr. II 68. de or. II 162, et omissa copula *diem noctem* de div. II 59.

Varro r. r. III 8 *dies noctesque.* III 9, 10 *diem et noctem.* de l. l. V 99 *noctu lucuque.* nam sic e coniectura C. O. Muelleri scribendum esse puto pro corrupto *noctu lucus*, quod praebet codex Flor.

*vi manuque* Verr. I 68. Phil. II 91. de off. I 76. — *vim et manus attulisse* p. Cluent. 161. *vim et manus intulisset* Cat. I 21. — *vi armisque* post red. i. sen. 33. — multo tamen saepius *et* adhibetur. — *atque* p. Caec. 37. — *vim ac tela* p. red. in s. 37.

Pro formula *longe lateque* etiam — neque solum a scriptoribus recentioris aetatis, ut Draegerus II p. 31 putat — *late longeque* legitur p. Balb. 13. de nat. deor. I 54. — iam apud Naevium v. 52 occurrit (Ribb. tr. fr. p. 13 *late longeque transtros nostros fervere*). — *longe atque late* p. Marc. 29. — *longe et late* Varro r. r. II 2, 9. Cic. or. 72. top. 69. Tusc. V 85. — *fuse lateque* de rep. V 1.

*ultro citroque* Cato de agr. c. 33, 2. or. pro Rhod. Jordan p. 23 v. 17. — Sisenn. hist. IV. (Peter p. 289, 89 ex Nonio) — Cic. Verr. V 170. acad. post. I 28. de rep. VI 9. — *ultro et citro* p. Rosc. Am. 60. Lael. 85. *ultro ac citro* Varro r. r. III 5, 16 — *ultro citro* de nat. d. II 84.

*susque deque* Plaut. Amphitr. III 2, 5 (v. 886). — Lucil. III 11 et 12. ed. Muelleri p. 12. — Laber. v. 29 *nunc tu lentus, nunc tu susque deque fers* (Ribb. com. fr. p. 283). — Varro logist. in Riesii sat. Men. rel. p. 259. Cic. ad Att. XIV 6.

§ 3. Frequentissime particula adiunctioni et coniunctioni pronominum inservit.

a) Atque apud Ciceronem omnium saepissime pronominibus *is* et *idem* adhaeret, imprimisque in orationibus Philippicis, in scriptis rhetoricis et philosophicis. Deinde personali et relativo hanc vocem Cicero valde amat adicere; atque ita fit, ut enuntiata a relativo incipientia in orationibus saepe, in reliquis scriptis plerumque hac adiungantur. Usitatissima etiam est copulatio pronominis personalis et possessivi et indefinitorum *tot* et *tantus* per *que* facta. Neque tamen omnibus pronominibus facile adnectitur, velut voci *quidam*, quam bis cum *que* coniunctam legi: or. Phil. VIII 1 *quidamque* et de nat. d. II 124 *quaedamque*.

b) Apud Varronem magnam adiciendorum pronominum provinciam voculam *que* occupare optime pauci numeri docebunt. Nam ex tribus et septuaginta locis, qui in rerum rusticarum libris *que* particulam exhibent, circiter triginta pronominibus et quidem viginti duo voci *is* adhaerentem eam ostendunt. Nec minus in libris de lingua latina compositis *que* saepe pronomini adiectum est. Sed de nonnullis locis paulo accuratius disputare debemus. Atque r. r. II 8, 4 legitur: *hos* (*sc. asinos admissarios*) *pascimus praecipue faeno atque hordeo, et id ante admissuram et largius facimus, ut cibo suffundamus vires ad feturam, eodem tempore quo equos adducentes, idemque ut ineat equas per origas curamus.* Pro *idemque* Keilius coniecit *itemque* et in ed. min. recepit; quod defendit comment. p. 197 sq. dicens sensum esse hunc: ‚eodem tempore quo equi adducuntur ad equas, etiam asinus adducitur eodemque modo per origas curatur ut equas ineat'. Coniectura et facilis et bona est. *itemque*, sc. ut Varro c. 78 descripsit.

Maiores difficultates nonnulli loci librorum de l. l. praebent. Incipiamus a l. V 143, ubi traditur: *qui* (*sc. orbis*) *quod erat post murum Postmoerium dictum*, *eiusque auspicia urbana finiuntur.* Turnebus, quem Muellerus sequitur coniecit *eius quo;* lectionem a Mommseno propositam (Herm. X p. 43 et Roem. Staatsrecht I p. 62 n. 5) *eousqúe* Reiterus p. 82 iure

videtur reiecisse, cum Varroniano generi dicendi oppugnet. Neque tamen quod hic profert *quoque* pro *eiusque* mihi placet. Simpliciorem et optime ad sensum quadrantem mutationem Jordanus proposuit (Röm. Topogr. I p. 167) *eoque*, neque asperitas dicendi eiusmodi est, in qua in his praesertim libris offendere debeamus. Jordani coniecturam etiam Richterus probat (J. Muelleri Handbuch III p. 749 n. 2).

VIII 32 in codicibus est: *neque potius delectaremur supellectile, distincta quae esset ex ebore .... rebus disparibus figuris quam grabatis*, ita ut inter verba *ebore* et *rebus* spatium fere quattuor litterarum intersit. Laetus posuerat *aliisque*, quod etiam Muellerus recepit. fortasse simplex copula *atque* in illa lacuna erat.

IX 59 *quoque* iam ab antiquissimis editoribus recte in *quodque* mutatum esse Reiterus p. 82 dicit. Sed hic locus maiorem difficultatem praebet et paulo uberius tractandus est. Verba appono: *Mas et femina habent inter se natura quandam societatem, neutra cum his quod sunt diversa inter se quoque de his perpauca sunt, quae habeant quandam communitatem. Dei et servi nomina, quod non item ut libera nostra transeunt eadem et causa quod ad usum attinet institui opus fuit de liberis, de reliquis nihil attinuit, quod in servis gentilicia natura non subest in usu, in nostris nominibus, qui sumus in Latio et liberi necessaria.* Falso Madvigius (advers. crit. II p. 176) hunc locum percepit sic scribendum ratus: *habent inter se natura quandam societatem et cum dis; neutra [nullam habent societatem], quod sunt diversa inter se, quodque perpauca sunt, quae habeant communitatem dei. Serva nomina, quod .... non transeunt, eadem est causa.* Interpunxit post vocem *dei* ridicule coniunctis, ut ait, *deo et servis.* Propterea etiam supra Varronem dixisse coniecit, marem et feminam et inter se et cum dis habere societatem. Sed iam L. Spengelius (Philol. Anzeiger V 1873, p. 587) has mutationes perversas reiecit. Nam etiam in § 55 di et servi sunt coniuncti: *nullius nostrum filium et filiam non apte discerni marem ac*

*feminam, ut Terentium et Terentiam, contra deorum liberos et servorum non itidem ut Iovis filium et filiam Iovem et Iovam.* Hunc locum Madvigius neglexit ideoque tantam sententiarum confusionem fecit. Mihi Spengelii emendatio probabilissima videtur esse, certe nec violenta est et sensum aptissimum praebet. Proponit enim l. l. '*mas .... societatem, neutra cum his, quod sunt diversa, non habent; inter se quoque* et q. s.' Quam lectionem assequimur ita, ut *non* post vocem *diversa* interponamus et *habent* ex § 58, ubi falso ponitur, huc traiciamus.

Neque C. O. Muellerus haec verba recte intellexisse videtur scribens '*mas .... societatem: contra nullam plerumque habent societatem neutra cum his, quod non sunt diversa inter se, quodque* et q. s.'

Nihil mutandum censet C. F. W. Muellerus (Zeitschr. f. d. Gymnasialwesen XIX 1865, p. 792 sq.), dummodo recte post *diversa* interpungatur; sed ut omittam structuram *diversus cum* insolitam sententiarum conexum non intellego.

Deinde pauca disserenda sunt de iis, quae leguntur IX 68: *Item reprehendunt analogias, quod dicantur multitudinis nomine publicae balneae, non balnea, contra quod privati dicant unum balneum, quod plura balnea dicant. Quibus responderi potest non esse reprehendendum, quod Scalae et Aquae Caldae pleraque quae cum causa multitudinis vocabulis sint appellata neque eorum singularia in usum venerint; idemque item contra.* Post verba *quod plura balnea* Popma *non* addidit, quod recte eum fecisse sequens disputatio docet; pro *pleraque quae* Reiterus p. 77 sqq. *pleraque* scribit; melius, ut puto, Spengelius *pluraque* (Philol. Anz. V p. 586). Madvigius (adv. cr. II 176 sq.) *peraeque quacumque causa ... appellatae* proponit. Quae propositio reicienda est. Nam neque vox *peraeque* in scriptis Varronis invenitur, quod Spengelius observavit, neque *quacumque* poni potest, cum in iis quae sequuntur causa afferatur, cur illae voces vocabulis multitudinis appellatae sint. Scitissime de hoc loco Reiterus p. 77—79 egit.

Restat X 72: *omnis analogiae fundamentum similitudo quaedam, ea ut dixi, quae solet esse in rebus et in vocibus et in utroque; in qua harum parte cumque sit in ferendo et cuiusmodi, videndum;* quem locum sanari puto coniectura quam Birtius praeceptor mecum communicavit scribens *in qua harum partium quae sit, inquirendum, et cuiusmodi, videndum.* — Praeterea particula *que* pronominibus adhaeret his locis: V 22 *ab eoque*, VII 47 *eorumque*, IX 47 *idque*, IX 74 *eaque*, V 57 *quaeque*.

§ 4. Ut ad verborum coniunctionem veniamus, Catonem saepissime duos imperativos hac copula componere notandum est, atque etiam in fine enuntiati, quod apud Ciceronem frustra quaeres. de agr. c. 18, 7 *pavito fricatoque.* 33, 4 *alligato corrigitoque.* 40, 4 *stramentis circumdato alligatoque.* 44, 47. 48, 3. 51. 76, 2. 77. 135, 7. 153. 161, 2. Memorabile est a capite 101 ad 132 in eiusmodi iuncturis numquam *que* inveniri.

Cicero quoque duo verba cuiusque generis et temporis vocula *que* copulat; superat haec ceteras particulas frequentia in compositione duorum participiorum futuri passivi. In coniunctis infinitivis praesentis passivi *que* raro apparere Landgrafius (Reissig, Vorlesungen z. lat. Sprachwissenschaft vol. III. p. 200 n. 406 m) negat, sed in append. p. 890 de Cicerone corrigit sententiam dicens multa esse huius usus exempla. Immo non solum saepe *que* deprehenditur, sed fere frequentiam ceterarum copularum exaequat. Ac saepe infinitivi cognominati coniuncti sunt: pro Rab. 3 *labefactari convellique.* p. Marc. 8 *debilitari frangique* p. Sull. 4 *a vobis tribui concedique.* de or. I 24 *infringi debilitarique.* ib. 193 *percipi cognoscique.* 222 *iungi copularique.* II 241 *geri illa fierique.* 322 *restitui sanarique.* de fin. I 2 *coerceri reprimique.* Tusc. II 5 *redargui refellique.*

Caesaris commentarii semel duos infinitivos passivi generis voce *que* copulatos ostendunt: de b. c. I 19, 2 *tegi dissimularique* (cf. Ringii p. 16). Varro bis duo verba et quidem infinitivos passivi sic collocat: r. r. I 7, 5 *seri nascique.* I 30 *seri interputarique;* omnino rarissime in verborum copulatione *que*

adhibuit. Adhaeret enim verbo praeter duos illos quos attuli locos r. r. II 8, 3 *quos emimus item ut equos stipulamurque in emendo ac facimus idem quod dictum est in equis.* I 17, 5 *praefectos alacriores faciendum praemiis, dandaque opera ut habeant peculium.* de l. l. IX 33 *si quis viderit mutilum bovem aut luscum hominem c l a u d i c a n t e m q u e equum.* Fortasse e coniectura Spengelii *c l a u d i c a n t e m v e* scribendum.

Ubi ablativi absoluti coniunguntur, Cicero *que* ponere amat ac plerumque participio particulam videtur adiecisse, quod etiam valet, si abl. absol. ad antecedentem sententiam adiungitur: in Verr. act. pr. 38 *iudiciis translatis sublataque potestate.* act. sec. IV 94 *convolsis repagulis effractisque valvis.* p. Caec. 14 *ficto officio simulataque sedulitate.* de imp. C. Pomp. 44 *referto foro completisque templis.* p. Flacco 49 *stantibus Hierosolymis pacatisque Iudaeis.* de or. I 14. d. nat. d. II 89. de div. II 98. Phil. III 11 *nomen Caesaris pertimescit neglectisque sacrificiis vota nuncupavit.* de off. III 12 *surrexit e lectulo remotisque arbitris ad se adulescentem iussit venire.* de or. I 260. Tusc. II 16. Phil. II 64. — Participio non adhaeret Verr. III 176 *decreto isto facto litterisque remotis.* V 67 *classe amissa provinciaque lacerata.* p. Sest. 69 *quo patefacto ferroque deprehenso.* de prov. cons. 5. de div. II 22. de off. I 65. pro Cluent. 68. de or. III 4. Brut. 106 *eoque tenente.* p. Mil. 74 *dominoque inspectante.* His duobus locis *que* participio ideo fortasse non adiecit, quod in ĕ exit.

In libris Varronianis semel ablativi absoluti *que* particula componuntur, ita ut substantivo adhaereat: r. r. I 4, 5 *inmissis fenestris novis aquilone et obstructis pestilentibus ianuaque permutata ceteraque eius generis diligentia comites incolumes reduxit.*

§ 5. Proprium locum *que* obtinet, ubi antecedentia colligit et complectitur aut quae nondum dicta sunt generatim affert, ideoque saepe verbis a l i u s, r e l i q u u s, c e t e r i, o m n i s, c u n c t u s, t o t u s adiungitur. Hunc usum apud Ciceronem latissime patere notum est. Iam Cato vocem *alius* fere semper cum *que* con-

iunctam exhibet: c. 2, 1. 2. 51. 133, 2. 143, 1. *ceterarumque* c. 133, 1.

§ 6. Imprimis autem particula *que* in anaphorae [1]) figura vel ut latino utamur vocabulo in repetitione usurpatur. Cuius usus iam

a) Catonis de agr. liber nonnulla exempla praebet: praef. 2 *bonum agricolam bonumque colonum.* 1, 4 *de domino bono colono bonoque aedificatore melius emetur.* c. 8 *ita paret itaque conserat.* 25 *facito uti servetur facitoque fundum studeas percoctum legere.* 142, 1 *quae ... quaeque.* 156, 7 *quibus ... quibusque.* — Pari frequentia *et* copula occurrit: 6, 3 *circum ... et circum.* 25 *quom et quom.* 37, 1 *omnia et omnia.* 38, 3 *quam ... et quam.* 41, 1 *per ... et per.* 43, 1 *facito ... et facito.*

b) In veterum historicorum reliquiis saepius *que* in eiusdem vocabuli repetitione usurpatur, in oratorum veterum fragmentis *et.* Peter p. 178, 1 *quo consilio quaque ratione.* 179, 2 *quis introierit quaeque gesta sint.* 196, 3 *quibus ... quique ...* 206, 7 *quem ... cuiusque ...* 184, 13 *tam ... tamque.* — *Et* p. 138, 1 *multa ... et multa.* — *Atque* 106, 85 *omnes res atque omnes artes.* — Meyer p. 234 *cum ... et cum.* 236 *parum ... et parum.* 242 *ab omnibus ... et omnes.* 275 *quanto ... et quanto.* 236 *quanta ... quantaque.*

c) Cornificius duobus exceptis locis (II 49 *quae ... quaeque.* 50 *in quibus .. quibusque*) semper *et* in anaphora usurpavit.

d) Varro quoque rarissime *que* iteratae voci addidit et quidem uno omisso loco (r. r. III 10, 5 *anseres pascunt in umidis locis et pabulum serunt, quod aliquem ferat fructum, seruntque his herbam, quae vocatur seris*) semper pronomini relativo: r. r. I 3 *quae ... quaeque.* II 1, 21 *quae ... quaeque.* II 8, 3 *quem ... quique.* III 9, 19 *quae ... quaeque.* — *Atque* bis legitur: de l. l. IX 67 *ea quae metimur atque ea quae numeramus.* r. r. I 59, 1 *ut ... atque ut.*

e) Maximam Cicero huic particulae in anaphora provinciam assignavit imprimisque tum eam posuit, si ad augendam sententiae

1) cf. Birtii de halieuticis lib. p. 57 sqq.

vim adiectivum aliquod aut adverbium aut pronomen, quod ad duas notiones pertinet, utrique attribuit. Ex magna exemplorum copia aliquot appono: Verr. I 63 *ut se ad regem Nicomedem regemque Sadalam mitteret.* II 83 *summam virtutem summamque nobilitatem.* p. Sest. 90 *magni ingenii magnaeque constantiae.* Phil. XIII 48 *in malam pestem malumque cruciatum.* pro Planc. 91 *nimium memoris nimiumque grati.* de har. resp. 55 *plenus vini plenusque temeritatis.* Longe saepissime omnium adiectivorum in hac repetitionis forma *magnus* eiusque superlativus *summus* occurrit. Nonnumquam secundo loco attributum cognominatum ponitur: p. Quinct. 85 *cum summa sua invidia maximoque periculo.* post red. ad Q. 6 *summa dignitas maximaeque res.* de legg. II 33 *omnia regna omnesque populi cunctaeque gentes.* pro Lig. 13 *multo acerbius multoque est durius.* acad. pr. II 6 *minus notas minusque pervolgatas.* Brut. 10 *ita cari itaque iucundi.* de nat. d. II 148 *eloquendi vis quam est praeclara quamque divina.* Catil. I 11 *tam taetram, tam horribilem tamque infestam.* de or. I 30 *haec res semper floruit semperque dominata est.* Div. i. C. 71 *nulla opinio nullaque exspectatio.* Phil. IV 8 *sua sponte suoque iudicio.* ad Att. XIV 19 *tali re talique tempore.*

Sed non solum attributo iterum posito copula *que* adnectitur, sed omnino in repetitione vocabulorum usurpatur. Frequens hic usus est praecipue in pronominis relativi et vocum *tantus*, *quantus*, *tam* et coniunctionis *cum* repetitione ac maxime in scriptis philosophicis. Exempla congerere supersedeo; alia pronomina sic repetita pauca affero: Verr. V 184 sq. saepius *teque* ponitur in deorum imploratione: *te*, *Iuppiter Optime Maxime, ... teque*, *Iuno regina ...*, *teque Latona et Apollo et Diana.* Verr. I 152 *sese fuisse una cum isto seseque scire.* ep. IX 14, 4 *me ... meque.* ib. § 8 *te tibique.* de or. I 181 *cum ... cumque.* de nat. d. II 101 *idem ... idemque.*

Huc etiam compositiones *quantus ... quamque*, *tantus ... tamque* pertinent, cum in *quantus*, *tantus* prima pars sit *quam*, *tam:* de fin. I 62 *quanta sint ea quamque iucunda.* Cato m. 15

*quanta quamque sit iusta.* de nat. d. II 140 *quantae res quamque eximiae.* p. Rosc. Am. 9 *de rebus tantis tamque atrocibus.* Phil. XIII 48 *tantam flammam tamque inveteratam.* de or. I 44 *tanta tamque multa.*

Praeter coniunctionem *cum* etiam *quoniam*, si repetitur, cum copula *que* componitur: p. Rosc. Am. 6. ib. 61. pro Planc. 58. de rep. III 24. ad Att. III 15, 7. — *dum ... dumque* ad Att. IX 6, 2. Phil. XIII 22. — *ut ... utique* de or. II 178.

Quamquam vero *que* in anaphorae figura principatum tenet, tamen ceterae quoque copulae inveniuntur. Atque potissimum pronomen demonstrativum *hic* in repetitione adiungitur voce *atque:* in Verr. act. pr. 49 *hoc splendore atque hac dignitate.* act. s. I 114. d. imp. C. Pomp. 19. pro Sulla 86 multisque aliis locis. Etiam *omnis* persaepe per *atque* repetitur. In aliis compositionibus *que* perspicuitatis causa evitatur velut partit. or. 123 *uter definiendo describendoque verbo magis ad sensum iudicis penetravit et uter ad communem verbi vim proprius accesserit, is vincat necesse est.*

In praepositionum repetitione *que* omnium copularum rarissime ponitur.

§ 7. Ut per coniunctionem *et*, sic per *que* explicatio adicitur; cuius usus neque Draegerus neque Kuehnerus exempla ex Cicerone sumpta afferunt; extant: de har. resp. 8 *qui sacra flagitio stuproque violavit.* Phil. I 7 *cum Brundisium iterque illud, quod tritum in Graeciam est, vitavissem.* Verr. I 55 *qui bellum in Asia gessit Antiochumque vicit.* de off. I 31 *cum ea ... commutantur fiuntque contraria.*

§ 8. Additur etiam hac particula notioni generali specialis et vice versa. Verr. I 58 *urbi foroque.* de or. I 69 *de caelo stelllisque.* pr. Cluent. 153 *robora populi Romani equestrisque ordinis.* — p. Rosc. Am. 7 *pecunia fortunaque.* de fin. III 14 *Zenonis Stoicorumque.* Verr. III 9 *forum comitiumque.* de div. II 6 *a Platone philosophiaque didiceram.*

§ 9. Figuram *ἓν διὰ δυοῖν* quam vocant in his agnoscimus: p. Quinct. 91 *ut vestrae naturae bonitatique obsequamini.* p. Rosc.

Am. 8 *per quorum sententiam iusque iurandum* (cf. Landgrafii edit. p. 144). Verr. I 129 *quid ego de cotidiano sermone querimoniaque populi Romani loquor.* p. Flacco 71 *agros habent et natura perbonos et diligentia culturaque meliores.* p. Cael. 6 *vocibus maledictisque.* de prov. cons. 12 *quod ille vos tristitia voltuque deceperit.* de or. I 189 *genera ad certum numerum paucitatemque revocanda.* de nat. d. I 51 *deus qui rerum vicissitudines ordinesque conservet* (‚regelmässiger Wechsel'. Goethe ad h. l.). III 18 *totius mundi convenientiam consensumque* (‚harmonische Uebereinstimmung'. Goethe). Varro r. r. I 23, 4 *quae ad hominum victum ac sensum delectationemque non pertinent.* Hoc unicum eiusmodi exemplum Varronianum est.

### B. in enuntiationum copulatione.

In adiunctione enuntiationum *que* rarius versatur quam ceterae particulae copulativae.

§ 1. Atque apud Ciceronem saepe adhibetur *que*, si transitus fit ad novam rem vel novum argumentum. De quo egit Madvigius de fin. III 73 p. 476 exemplaque congessit, quae facile augeri possunt (cf. etiam Schoemannum ad Cic. de nat. d. I § 24 et Goethium ad hunc locum). Madvigii observationem Bakius correxit ad legg. II 30 p. 522 ita, ut diceret enuntiationem per particulam *que* adiectam absolutionem argumentationis continere (cf. etiam Seyfferti schol. lat. § 16. Naegelsbachii Stil. § 193. Seyfferti edit. Laelii p. 143 sq. 553). — Atque cum hac copula ad novum argumentum transeatur, saepissime in initio enuntiationum a coniunctione *cum* incipientium invenitur: Phil. I 8. II 49. de or. I 142. 260. ac. post. I 38. de nat. d. II 79. III 29, saepius. etiam *quoniamque* saepe occurrit: de fin. III 59. 64. 67. Tusc. IV 13. de nat. d. I 48. de legg. II 28.

§ 2. Complendi munere fungitur copula *que* vocibus ‚idem, item, imprimis, maxime' affixa, qui usus tam frequens est apud Ciceronem, ut exempla afferre supervacaneum sit.

Ex Cornificio pauca appono: II 10 *idemque hoc in testimoniis facere oportebit.* II 36 *itemque infirma ratio est, quae non necessariam causam affert expositionis.* III 35 *itemque quas res ante ora videmus aut quod recens audivimus, obliviscimur plerumque.* — Sisenna hist. IV. (ex Nonio, Peter p. 293, 117) *idemque perseveraverunt uti lex perveniret ad quaestores.*

Cum *que* colligendi et complectendi vim habeat, magnus est numerus apud Ciceronem enuntiatorum ab omnisque, omninoque, ceterique, reliquusque, multusque, cunctusque, totusque incipientium.

§ 3. Amant scriptores etiam per *isque* adserere novum enuntiatum: Piso ann. (Peter p. 131, 27, ex Gell. VII 9): *Flavius, patre libertino natus, scriptum faciebat, isque in eo tempore aedili curuli apparebat, quo tempore aediles subrogantur, eumque pro tribu aedilem curulem renuntiaverunt. Flavius .. dicitur tabulas posuisse, scriptu sese abdicasse; isque aedilis curulis factus est.* C. Gracchus de leg. promulgatis (Meyer p. 236, ex Gell. X 3): *Idcirco palus destitutus est in foro, eoque adductus ... M. Marius.*

Varro r. r. I 59, 3 *punica mala ... cum haereant in sua virga et demiseris in ollam sine fundo, eaque si conieceris in terram.* II 2 10 *Eaeque ibi ubi pascuntur in eadem regione tamen temporibus distinguunt.* II 9 5 *canis facilius quid adsuescit, eaque consuetudo firmior, quae sit ad pastores, quam quae ad pecudes.* II 7, 2. III 16, 16. de l. l. V 143.

§ 4. *Ideoque* in initio enuntiati legitur: de l. l. IX 104. r. r. I 59, 2. — *ibique* r. r. III 5, 17.

§ 5. Per *utique* raro enuntiata inseruntur: Ex Claudii Quadrig. ann. (Peter p. 132, ex Gell. VII 9): *nequis illorum exire posset, utique hi omnes inviti viderent sese in sella curuli sedentem.* Cic. p. Cluent. 56 *utique ei locus primus constitueretur.*

§ 6. Parentheses particula *que* inducuntur de off. I 95 *Est enim quiddam — idque intellegitur in omni virtute — quod deceat.* ad Att. III 15, 6.

§ 7. Saepe, imprimis a Cicerone, enuntiata ita adiciuntur, ut particula *que* verbo adnectatur idque in initio ponatur: de off. II 70 *videndumque illud est.* de or. I 45 *Erat etiam Metrodorus qui Carneadem diligentius audierat; vigebatque auditor Panaetii illius tui Mnesarchus.* 158 *disputandumque de omni re.* ib. 260. II 1, 208. de off. I 59. de rep. II 55. Ex Claudii Quadrig. ann. (Peter p. 211, 12) *in eo tempore copiae Gallorum insederant in agrum Pomptinum; instruebanturque acies et* q. s.

## *Atque (ac).*

### I. De forma particulae 'atque (ac)'.

Priusquam ad usum huius particulae explicandum adgrediamur, pauca de forma praemittenda sunt. Forma, quae est *ac,* in Catonis libris, qui supersunt, ter occurrit, *atque* fere nonagies promiscue ante vocales et consonantes. Plautus *atque* vocalibus et consonis praeposuit, *ac* consonis, sed rarissime gutturalibus — semel litterae *g*, bis *c*, nunquam *q* —. Apud Lucilium *ac* ante *c* legitur p. 44 (ed. Mueller.) *limum ac caenum*; et p. 142, 80 *vernam ac cercupithecon.* — In Claudii Quadrigarii reliquiis *atque* ante vocales et consonantes scriptum videmus, *ac* semel ante consonam. L. Corn. Sisenna inter *atque* et *ac* discriminasse videtur, illud enim ante vocabula a vocalibus et littera *h* incipientia, hoc ante consonas legitur. Reliquorum historicorum fragmenta rariora sunt, quam ut de his formis aliquid certi statui possit. Oratorum veterum reliquiae *atque* promiscue ante vocales et consonantes positum exhibent, *ac* semel ante consonantem.

Cornificius ampliorem formam semper ante vocales et litteram *h* atque etiam ante consonas saepius posuit quam *ac;* hanc voculam semper ante verba, quae a litteris *c* aut *g* incipiunt, vitavit, posuit semper ante consonantes *s* et *l*.

Varro quoque *atque* vocalibus et litterae *h* praeposuit. Unus locus qui *ac* ostendit vocali praepositum corruptus est: de l. l. IX 6 *quare ad quamcumque summam in dicendo referam si*

*animadvertes*, *intelleges*, *utrum dicatur analogia esse an uti oporteret redigeretur dici id in populum aliter ac inde omnibus dici in eum qui sit in populo.* Muellerus scripsit: *an uti oportere ea; et quom poscitur, ut usus ad id quod oporteret redigeretur, dici id in populum aliter ac in eum, qui sit in populo.* Reiterus (p. 41—43 *oportere et redigere ad eum verba*, *tum dici id in populum aliter ac in eum qui sit in populo*) propius ad verum mihi videtur accessisse, quamquam ne hic quidem omnes difficultates sustulit. *oportere et redigere* recte coniectum esse puto nec minus *dici* falso repetitum esse, sed quid verbis *aliter ac inde omnibus* faciam non reperio.

Ante consonas Varro ampliorem formam *atque* raro adhibuit: de l. l. VI 1. VI 38. r. r. I 23. II 3, 4. de vita pop. Rom. p. 30, 2. sat. Menipp. p. 181, 178. Wilmanns p. 146, 16. — Formam *ac* ante gutturales adeo non fugit, ut harum consonantium concursum amasse videatur. In libris quidem de re rustica scriptis particulae *et* et *ac* ante voces a littera *c* incipientes fere eadem frequentia sunt [1]). Ex copia exemplorum nonnulla affero: de l. l. V 157 *coacervata ac consepta.* VI 55 *fassi ac confessi.* ib. *ac contra.* r. r. I 17, 5 *firmiores ac coniunctiores.* II 1, 4 *ac concluderent.* III 6, 5 *ac conservare.* — de vita pop. Rom. p. 28, 47 *capulas ac capides.* — de l. l. V 84 *ac caput.* r. r. I 17, 5 *ac cariores.* II 1, 28 *oves ac capras.* sat. Men. p. 169, 63 *alium ac caepe.* p. 197, 342 *rapere ac caedere.* p. 223, 577 *cito ac caduciter.* — de l. l. V 71 *ac ceteris.* VIII 65. r. r. I 13, 2. II 3, 2 *ac cervice.* sat. Men. p. 215, 507 *Fortuna ac Ceres.* — de l. l. V 92 *Copis ac Copiosus.* 99 *ac cornua.* r. r. III 2, 13 *gallinae ac columbae.* 16, 15 *e ligno ac corticibus.* 17, 1 *ac coepti sunt.* — de l. l. IX 26 *ac cum.* idem de vita pop. Rom. p. 22, 13. r. r. I 13, 7. III 9, 2 *ac cura.* de vit. p. Rom. 28, 49 *ac cupas.* — r. r. II 10, 6 *ac cibaria.* I 41, 6 *Chiae ac Chalcidicae.* III 7, 9 *simul ac creverunt.*

---

1) cf. supra p. 6.

Ante *g* invenitur *ac* de r. r. I 1, 10 *ac graeca.* I 6, 3 *ac graviora.* 40, 3 *locis ac generibus.* 44, 4 *ac genus.* III 14, 1 *cochleis ac gliribus.* de l. l. VIII 4 *ac gentiles.*

Ante *q* de r. r. I 6, 4 *arbutus ac quercus.* 41, 5 *ac quo volunt.* II 1, 2 *ac quae.* I 49, 2 *ac quasi.* II 8, 3 *ac quadragenis.* III 5, 7 *ac quotannis.* de l. l. V 88 *ac quiddam.* VI 30 *ac quem.*

Maxime Varro copulam *ac* ante litteras *f*, *m*, *p*, *s* amat [1]).

Apud Ciceronem ante consonantes utraque forma occurrit, ita tamen ut *ac* longe praevaleat. Quam voculam ne Cicero quidem ante gutturales prorsus videtur vitavisse, nec Muellerus novissimus operum Ciceronis editor, qui in adnot. crit. vol. II part. I p. 102 Ciceronem *ac* ante *c*, *g*, *q* posuisse se credere negat, omnibus locis ubi gutturalium concursus extat eum tollere audet. Legitur *ac* ante c: in Verr. act. pr. 45 *providere ac consulere* [2]). pro Caec. 18 *obtrivit ac contudit.* de fin. IV 17 *ac contineret.* ad Att. XII 40, 5 *simulac constituero.* XIII 21, 2. Verr. III 136 *locupletissimus quisque ac certissimus.* pro Caec. 51 *quae iudicia aut stipulationes aut pacti aut conventi formula non infirmari ac convelli potest, si ad verba rem deflectere velimus.* Non est cur cum Muellero bonorum codicum lectionem in *aut* mutemus. de fin. V 50 rectissime Bremius scripsit: *quae qui non vident, nihil umquam magnum ac cognitione dignum amaverunt* pro eo quod traditur *magna cognitione.* Error quomodo ortus sit nemo non videt. — de div. II 4 *his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est* (sc. *iuventus*), *ut omnium opibus refrenanda ac coercenda sit.* sic Christius (in Orell. ed. II) pro codd. lectione *hac cohorenda.* Muellerus *atque.* — Lepidus in ep. X 34 *ac contra.* Servius in ep. IV 5, 5 *animum ac cogitationem.* Vatinius in

---

1) cf. supra p. 6.

2) § 43 *consulite ac providete.* act. sec. I 22 *prospicite atque consulite.* § 153 *consulere ac prospicere debemus.* Catil. II 26 *consultum atque provisum est.* ep. III 2 *prospicias et consulas.* ad Att. XI 14 *consuli et prospici.*

ep. V 10a *alia condicione ego sum ac ceteri.* — ep. ad Brut. I 18, 1 *illa rettulit quaesivitque, quidnam mihi videretur, arcesseremusne te atque id tibi conducere putaremus an tardare ac commorari te melius esset.* sic Baiterus emendavit *an*, quod cod. Mediceus exhibet. — In plurimis igitur locis *ac* ante syllabam *con* occurrit.

Ante g *ac* legitur Verr. IV 147 *verum ac germanum Metellum*, ubi Muellerus deteriores codices secutus *et* recepit. — de or. I 8 *regnare ac gubernare.* or. 22 *ornate ac graviter.* ep. XII 7, 1 *dignitati ac gloriae tuae.*

Ante q: de leg. agr. II 98 *ac quam multis.* de or. III 57 *curanda ac quaerenda et investiganda.*

Ex his exemplis, quamquam prae multitudine scriptorum pauca sunt, ne Ciceronem quidem *ac* prorsus improbare vides ante litteras gutturales.

Ut denique recentioris aetatis scriptorem afferam, Seneca vocem *ac* semel ante c, numquam ante g, semel ante q posuit. cf. Klammeri p. 3.

## II. De particula ‚atque (ac)' notiones coniungente.

§ 1. Particula *atque* ex *ad* et *que* composita (‚und dazu') proprium locum habet

a) si quid maioris momenti et quod gradationem continet adiungitur: Corn. III 24 *ut ipsa pronuntiatione eas res, quas demonstrabimus, inserere atque insecare videamur in animis auditorum.* IV 51 *domum atque omnem familiam perfringens.* § 55 *magnum atque atrox periculum.* Cic. de inv. I 21 *augetur atque inflammatur odium.* p. Rosc. Am. 153 *(proscriptio), quae ad eorum liberos atque ad infantium puerorum incunabula pertinet.* ep. IX 15, 1 *magnum atque haud scio an maximum.*

b) Augetur interdum vis particulae uno adverbio vel pluribus adiectis, plerumque addita voce *adeo.* Cornif. IV 55 *non mihi soli, sed etiam atque adeo multo potius natus sum patriae.* IV 36 *virtutis comes, invidia, quae bonos sequeris atque adeo*

*insectaris.* — Usurpatur haec formula ab eo, cui quae pronuntiavit non sufficiunt, quique statim se corrigit[1]) et quod gravius est substituit. Nonnumquam etiam re prorsus negata profertur quod contrarium est: Corn. IV 36 *postquam isti vicerunt atque adeo victi sunt.* Ceterum adnotandum est tres hos locos ex Cornificio depromptos in exemplis rhetoricis extare libro IV insertis. Ut ex Cicerone quoque exemplum afferam, or. pr. Planc. § 48 apponam: *etiam atque etiam insto atque urgeo, posco atque adeo flagito* et p. Cluent. 172: *Quid huic cum Habito? nihil: atque adeo, quod ille Oppianico familiarissimo est usus potius simultas.* Pro hac formula *atque adeo* in Ciceronis scriptis usitatissima rarius occurrit *sive adeo:* Verr. I 87 *ne illud quidem cogitabas, huius improbissimi furti sive adeo nefariae praedae tam nobilem civitatem testem futuram?* III 110 *via reperiunda est, qua ad Apronii quaestum sive adeo qua ad istius ingentem immanemque praedam possim pervenire.*

In Varronis scriptis bis formulam *atque adeo* inveni: Wilm. gr. libr. fr. p. 148: *Vide tamen paululum quomodo perveniri putant ad illa verborum cunabula vel stirpem potius atque adeo sementum.* Praeterea legitur r. r. III 4, 1 in enuntiati initio: *unde velis me incipere, Axi, dic. Ille, Ego vero, inquit, ut aiunt, post principia in castris, id est ab his temporibus quam superioribus, quod ex pavonibus fructus capiuntur maiores quam e gallinis. atque adeo non dissimulabo, quod volo de ornithone primum, quod lucri fecerunt hoc nomine turdi.*

c) Gradationis vis etiam inest in locutione apud Ciceronem maximeque in epistulis usitatissima *etiam atque etiam* („wiederum und dazu wiederum'), persaepe cum *rogare, petere* vel alio orandi verbo coniuncta. Cornif. IV 16 *socii nostri cum belligerare nobiscum vellent, profecto rationati essent etiam atque etiam, quid possent facere* (in exemplo rhetorico).

---

1) Hanc correctionis figuram Cornif. IV 36 ipse describit: *correctio est, quae tollit id quod dictum est et pro eo id quod magis idoneum videtur reponit.*

d) Adnecto formulam quae est *atque etiam*, a Cicerone saepe, a Varrone rarissime adhibitam: r. r. I 2, 17 *non solum adimis domino pecus, sed etiam servis peculium atque etiam leges colonicas tollis.* III 12, 2 *in eodem consaepto habere solent cocliaria atque alvaria atque etiam dolia.* de l. l. X 19 *in nominatibus maxime expressa* (sc. *analogia*) *ac plus etiam in vocibus quam in rebus suam obtinet rationem.* — sat. Menipp. p. 218, 534 *περιέχοντα varia mihi facies maeandrata et vinculata atque etiam adpinges orbem terrae.*

e) Deinde particula *atque* (*ac*), cum aliquid gravioris momenti adiungat, proprium locum habet in coniunctione duorum comparativorum et superlativorum. Quod comprobatur usu Varroniano: r. r. I 6, 3 *loca calidiora ac graviora.* § 4 *quaedam in montanis prolixiora nascuntur ac firmiora.* 17, 5 *fiunt firmiores ac coniunctiores.* ib. *inlustriores ac cariores.* 57 *grana facit solidiora ac firmiora.* III 2, 3 *villa frugalior ac melior.* II 1, 25 *minoris ac maioris.* id. III 14, 4. de l. l. X 29 *latiorum atque altiorum.* Sed nescio an in his electio particulae *ac* aliquam partem pendeat ex litteris, quibus anteposita est, *f*, *c*, *m*, quibus favere eam supra diximus.

*Et* comparativos coniungit r. r. I 24, 2 *ager frigidior et macrior.* II 10, 2 *eum esse maiorem natu potius quam alios et peritiorem quam reliquos.* II 11, 9 *lana fit mollior et ponderosior et colore meliore.*

Superlativi copula *atque* (*ac*) compositi leguntur: r. r. I 13, 7 *villam quam maximam ac politissimam.* I 52, 1 *seges grandissima atque optima.* I 64 *quod est levissimum ac summum.* II 3, 4 *maximi ac pulcherrimi.* — *Et* II 4, 10 *succidias optimas et maximas.* II 1, 4. 6, 1. de l. l. V 102. — *Que* r. r. II 8, 3 *asinum amplissimum formosissimumque.*

In unius comparativi adiunctione fere aequali numero occurrunt particulae *et* et *atque* (*ac*): r. r. III 17, 4 *proinde ut sacri sint ac sanctiores quam illi in Lydia.* 17, 6 *nisi ipse eos pasceret ac maiorem curam sibi haberet.* I 47 *ac celerius.* I 2, 22 *ac magis.* de l. l. VIII 23 *ac potius.*

*Et* r. r. I 6, 3 *et celerius.* II 2, 13. 8, 4 *et largius.* III 9, 13 *et minus.* de l. l. V 121 *et minores.* X 19 *et magis.* V 61 *et potius.* id. X 56. — *Que* r. r. II 2, 8 *quo mollius requiescant purioresque sint.* II 9, 10 *quod vehementius diducuntur malae acrioresque fiunt.*

Unus superlativus semper copula *et* adnectitur: r. r. II 1, 3 *et summum.* II 3, 2 *et potissimum.* id. III 5, 3. de l. l. VI 96. — r. r. II 1, 5 *et maxime.*

Cornificius in comparativorum compositione semper *et* usurpavit: II 49 *maturius et atrocius.* IV 26 *tardius et rarius. crebrius et celerius.* III 27 *tardiore et consideratiore gestu.*

Ciceronis orationes in comparativorum copulatione omnium particularum eandem fere ostendunt frequentiam; in superlativorum coniunctione *et* et *atque* (*ac*) pari numero inveniuntur; *que* multo rarius. In orationibus Philippicis plerumque *et* superlativos conligat. In reliquis scriptis et comparativi et superlativi gradus saepissime particula *et* componuntur; unus comparativus aut superlativus plerumque adicitur per *que,* rarissime omnium per *atque* (*ac*); imprimis vox *maxime* cum *que* componitur.

Apud Caesarem comparativorum et superlativorum coniunctioni prae ceteris particulis *atque* (*ac*) inservire Ringius p. 12 observavit.

f) Memorabile etiam est, Ciceronem nonnulla adiectiva, quibus gravior sensus et superlativa quaedam vis subest, saepe particula *atque* (*ac*) adnectere, quod imprimis de adiectivis *singularis* et *divinus* valet: *egregius ac singularis*, *incredibilis ac singularis*, *nefarius ac singularis*, *praeclarus ac singularis*, *divinus ac singularis*, *excellens ac singularis*, *mirus ac singularis*, *incredibilis ac divinus*, *magnificus ac divinus*, *caelestis ac divinus, memorabilis ac divinus, excellens atque divinus*, alia.

§ 2. Notionum coniunctio etiam tum per particulam *atque* (*ac*) fit, si utramque notionem eiusdem ponderis esse significatur: C. Gracchus in Meyeri fr. p. 229 (ex Festo) *eae nationes .. per*

*avaritiam atque stultitiam res publicas suas amiserunt.* Cornif. IV 52 *duae res sunt, quae possunt homines ad turpe compendium commovere: inopia atque avaritia.* § 55 *natus sum patriae; aluit haec me, tute atque honeste produxit usque ad hanc aetatem.* III 8 *utilitas dividitur in rationem tutam atque honestam.* Civ. de inv. I 5, 7 *Aristoteles, qui huic arti plurima adiumenta atque ornamenta subministravit.* II 38 *eae suspitiones partim ex negotiis separatim, partim communiter ex personis atque ex negotiis proficiscuntur* (cf. § 42: *suspitiones quae communiter et ex negotiorum et ex personarum attributionibus sumuntur*). II 163 *patientia est honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio.* Varro de l. l. VIII 32 *lectos non omnes pari magnitudine ac figura faciunt.* de r. r. I 20, 1 *boves, qui arandi causa emuntur .. ut viribus magnis ac pares sint, ne in opere firmior imbecilliorem conficiat.* III 3, 1 *ut domino sint fructui ac delectationi.* III 9, 2 *de his qui ornithoboscion instituere vult, id est adhibita scientia ac cura ut capiant fructus.*

Etiam notiones contrariae sic ex aequo componuntur: r. r. I 6, 3 *nec non susum quam deorsum tardius seruntur ac metuntur.* I 16, 6 *quibus utrisque rebus evehi atque invehi ad multa praedia scimus.*

§ 3. Porro particula *atque* notiones pari dignitate componi et aequari inde praecipue apparet, quod haec omnium maxime rerum cognominatarum et cognatarum copulationi inservit. Qui usus

a) iam in Catonis reliquiis saepe occurrit: Jordan Cat. fragm. p. 33, 1 *iam pridem cognovi atque intellexi.* p. 36, 15 *me sollicitum atque exercitum habitum esse.* p. 55, 8 *cumque Hannibal Italiam laceraret atque vexaret.* p. 65, 6 *pulchralibus atque cupediis.* 69, 1 *in nervo atque in compedibus aetatem agunt.* p. 73, 2 *uti atque frui.* in or. pro Rhod. p. 21, 5 *scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis omnium excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere.*

b) Sisenn. hist. (Peter p. 291, 101 ex Non.) *profuse atque abunde;* P. Scipio Afric. minor (Meyer p. 184, ex Gellio VII 11) *perdidisti atque absumpsisti;* C. Gracchus (Meyer p. 258, ex Charis.) *ita officiose atque observanter.*

c) In Cornificii rhetoricis inter exempla rhetorica et reliquam disputationem discernendum est. Nam in illis synonymorum copulationi imprimis *atque* (*ac*), in hac *et* inservit; omninoque fere omnia synonyma per copulam *atque* (*ac*) composita in exemplis libro IV insertis inveniuntur:

IV 20 *eius nomen splendori ac decori est civitati.* 47 *maculae atque dedecori.* 48 *fugare ac vitare. timidi atque ignavi.* 29 *se iactat atque ostentat.* 52 *inopem atque egentem.* 66 *proteri atque conculcari.* 22. 14. 29. 32. 64. 66. Sed occurrit etiam *et* IV 53 *titubanter et inconstanter.* 60 *forma et species. derisus et contemptus.* 51 *ludibrio et despectui.* 13 *instructiores et apparatiores.* Contra etiam in reliqua disputatione paucis locis *atque* legitur: III 11 *malitiam atque nequitiam.* IV 63 *exprimitur atque effingitur forma.*

Omnino in exemplis rhetoricis prae reliqua disputatione particulam *atque* (*ac*) saepius legi notandum est, et ex duodenonaginta locis, qui *atque* (*ac*) exhibent, quinque et triginta in exemplis libro IV insertis reperiri. Cuius rei causa aperta est. Congruit enim cum illo sublimiore dicendi genere etiam plenior particulae sonus, cum ad simplicem disserendi rationem et orationem aequaliter profluentem simplex copula accommodata sit.

d) Varro in coniungendis synonymis praecipue *atque* (*ac*) adhibuit: r. r. I 1, 6 *sine successu ac bono eventu.* 2, 8 *impensam ac sumptum.* 9, 2 *vi ac potestate.* 44, 4 *de nutricationibus atque alimoniis eorum.* II 4, 2 *fudit ac fugavit.* III 5, 4 *ad speciem cancellorum scenicorum ac theatri.* II 3, 6 *uliginosum ac lutulentum.* 8, 5 *in palustribus locis atque uliginosis.* II 7, 4 *crescere ac lacertosum fieri.* III 9, 21 *palumbos farciunt ac reddunt pingues.* — sat. Menipp. p. 204, 402 *exitum ac τέλος.* Wilm. libr. gr. rel. p. 149 *instat atque exigit.* — de l. l. V 70 *vi ac violentia.* 145 *quod exitum non habet ac*

*pervium non est.* 136 *eradunt terram atque eruunt.* VI 47 *lubere a lubendo dictum, quod lubrica mens ac prolabitur.* VIII 10 *quae copulae sunt ac iungunt verba.* X 69 *vernaculum ac domi natum.* V 131 *foris ac palam.* VII 89 *hilare ac lubenter.* — *Et* occurrit de l. l. VII 81 *prodire et procedere.* IX 92 *vi et potestate.*

e) Apud Ciceronem quoque in coniunctione notionum cognominatarum et cognatarum primum locum obtinet *atque* (*ac*). Observatur tamen differentia inter diversa scripta. In libris enim de inventione compositis synonyma saepius particula *et* consociata videmus, in orationibus et reliquis scriptis *atque* (*ac*) praevalet, ita tamen ut illae multo saepius *atque* (*ac*) quam *et* offerant, haec non adeo magnum frequentiae discrimen harum particularum ostendant. Ex multitudine exemplorum pauca eaque memorabilia in conspectu pono. Valde Cicero amat in orationibus et epistulis duo verba componere, quibus vis orandi subest. Quibus in compositionibus saepissime *atque* (*ac*) copulandi munere fungitur, sed ceterae copulae non absunt. Exempla appono. Ac frequentissimo in usu est formula orare atque obsecrare, quae sedecim locis occurrit et semper in orationibus: p. Quinct. 10. pro Rosc. Am. 9, 77. p. Rosc. com. 20. Div. i. C. 14. Verr. II 42. 75. IV 80. V 21. p. Font. 14. p. Cluent. 144. p. Rab. 5, 37. p. Mur. 86. 87. p. Planc. 56. — Lepidus sen. ep. X 35.

orare et obsecrare: p. Cluent. 201. ad Att. III 19, 3. ep. X 9 (Cael. Ciceroni). ep. IV 3. *que* in Pis. 77 oratum obsecratumque venerant.

oro atque obtestor: p. Rab. 35.

oro et obtestor: p. Flacc. 26. p. Planc. 104. ad Att. IX 11 a.

oro obtestorque: p. Cael. 78. p. Mil. 92. 105. p. Rab. Post. 46. ep. VI 22. ad Att. III 23.

oro quaesoque: Phil. VII 8.

oro, obsecro: ad Att. XI 2. 3.

orat ac petit: ad Att. XV 5.

rogo atque oro: Verr. I 72. II 96. III 69. II 103. de leg. agr. II 68. ep. II 7, 4. V. 18. XIII 66, 2.

rogo et oro: Verr. II 147. ad Att. XVI 16, 9 (rogo et etiam oro).

rogat oratque: p. Quinct. 144.

obsecro obtestorque: p. Quinct. 91. p. Mil. 6. ep. II 1.

obtestor atque obsecro: p. Sest. 147. ad Att. XI 1.

precor atque quaeso: de dom. 144.

imploro atque obtestor: p. Mil. 85.

quaeso obtestorque: p. red. in sen. 1. de dom. 147.

peto quaesoque: p. Mur. 38. ep. V 4, 2.

peto et quaeso: ep. III 2.

peto atque contendo: ep. XIII 7, 5. contendam ac petam: ep. XV 13, 1.

detestor ac deprecor: Catil. I 27.

§ 4. Pauca haec particula cum ceteris habet communia. Copulat enim ut *et*, *que* notiones generales et speciales: p. Sest. 58 *a summo viro atque imperatore.* Catil. I 11 *dis immortalibus atque huic ipsi Iovi Statori.* ep. I 1, 7 *Alexandream atque Aegyptum.*

§ 5. Nec minus coniungit verba ita, ut evadat figura *ἓν διὰ δυοῖν* quae vocatur: p. Cael. 11 *de eius fama atque pudicitia.* Cornif. III 14 *natura si sit dignitas atque forma.* Cic. p. Rosc. Am. 129 *sensu ac dolore* (Landgrafius p. 362 ‚*schmerzliches Gefühl*'). pro Mil. 94 *vox atque defensio.* Phil. X 11 *conatum atque audaciam.* de or. II 342 *usu ac moderatione.* Cato m. 77 *ratio ac disputatio* (‚wissensch. Untersuchung'). de rep. III 4 *in istorum otio ac litteris* (‚litterarische Musse').

§ 6. Denique *atque* (*ac*) usurpatur, ubi aliquid additur, quod praecedentem notionem aut sententiam explicet vel accuratius describat et exemplis illustret. Quo munere particula in Varronis de l. l. libris saepius fungitur: VIII 21 *alius declinat nomen* (sc. *servi*) *ab eo, qui vendit Artemidorus atque Artemam appellat.* § 52 *de nominatibus, qui accedunt proxime ad infinitam naturam articulorum atque appellantur vocabula, ut*

*Homo*, *Equus*, *eorum declinationum genera sunt quattuor.* § 80 *nomina differunt a vocabulis ideo quod sunt finita ac significant res proprias*, *ut Paris*, *Elena*, *cum vocabula sint infinita ac res communes designent*, *ut Vir*, *Mulier.* IX 59 *ibi apparet analogia ac dicitur Terentius vir*, *Terentia femina.* 94 *itaque discedunt ac dicuntur hi Lepores*, *haec Nemora.* X 8 *si eiusdem generis essent*, *utrique praeponeretur idem ac diceretur aut hic lepus et hic nemus aut hoc nemus*, *hoc lepus.* — Huc pertinent etiam IX 1 *Crates*, *qui fretus Chrysippo .. contra analogiam atque Aristarchum est nixus.* 10 *siquis puerorum pedes male ponere atque imitari vatias coeperit.* — Explicationem adicit particula in his quoque exemplis Ciceronianis: Verr. II 117 *animus atque amor in rempublicam.* IV 132 *opera atque artificia.* p. Mur. 37 *in provincia ac legatione.* de imp. Cn. Pomp. 69 *ego autem . . . quidquid hoc beneficio populi Romani atque hac potestate praetoria possum*, *id* et q. s.

§ 7. Ut iam ad pronomina progrediamur, horum in adiunctione apud Varronem *atque* (*ac*) rarissime se offert. Legitur locis his: de l. l. V 8 *atque ea, quae.* § 79 *atque eas.* 148 *atque eius.* IX 67 *atque ea quae.* r. r. III 1, 5 *atque eos.* sat. Menipp. p. 179, 162 *ex his atque eiusmodi institutis.* de l. l. VIII 22 *atque eodem modo.* r. r. III 3, 9 *atque ille.* sat. Menipp. p. 220, 550 *ac tu.* — Maximam partem in his copulam pronomini *is* antepositam vides. Cui voci et personali *ego* maximeque demonstrativo *hic* etiam Cicero *atque* praeposuit. Quod explicatur ex vi huius copulae demonstrativa. Eadem de causa etiam cum adverbio *ita* persaepe eam coniunctam videmus.

Sequantur paucae formulae, quae hanc particulam exhibent: *alius atque alius* Cornif. IV 54 bis, § 63. Varro de l. l. VI 38.

*unus atque idem* Cornif. III 19. IV 51. — Cicero quoque saepissime hanc formulam adhibuit, sed copulas variavit. Ordinem verborum immutavit or. Phil. XI 6 *idem unumque bellum.* Similis iunctura de or. II 209 occurrit: *par atque una ratio est spei.*

§ 8. Transeo ad praepositiones, quibus Varro haud raro *atque* (*ac*) praeposuit, sed quattuor exceptis locis tantum monosyllabis maximeque voculis *in, ad, ex.* Quod etiam de Cornificio et Ciceronis de inventione libris valet. Invenitur atque in: Peter p. 206, 8. — p. 291, 103. — Meyer p. 182. — Cornif. I 8. IV 42. — Varro d. l. l. V 74. r. r. I 5, 4. 31, 2. 50, 2. II 3, 7. 8. 9, 6. 9. III 1, 2. 2, 15. 9, 7. vita pop. Rom. p. 34. 36. — atque ad: Cornif. III 15. de inv. I 86. II 169. Varro de l. l. VII 52. 73. r. r. II 1, 16. 5, 10. III 7, 7.

atque ex: de inv. I 91. Varr. r. r. I 2, 23. III 16, 28. de vita p. Rom. p. 31, 1. 2. — atque e r. r. II 4, 21.

atque de: P. p. 210, 10.

ac de: Varr. r. r. I 50, 1. II 4, 1.

atque ob: P. p. 212, 12.

atque ab: Varro de l. l. VIII 31.

ac pro: r. r. I 54, 3.

ac per: r. r. III 17, 7.

ac cum: de vita pop. R. p. 22, 13.

ac sine: de l. l. VII 57. IX 16. r. r. I 8.

atque intra: sat. Men. p. 222, 574.

§ 9. Denique de verbis agendum est. Quorum coniunctionem per particulam *atque* (*ac*) factam in libris Varronianis persaepe observamus. Ac plerisque locis copula inter duo praesentia intercedit: r. r. I 21 *pascat ac stabulet.* 23, 6 *ut seras ac colas.* 69, 1 *ut promas ac vendas.* II 3, 9 *quae se congregent ac condensent.* 7, 15 *eligit atque alit ac docet.* III 5, 16 *prodeunt anates .... ac nant.* 7, 1 *evolant ac remeant.* III 16, 88 *restituunt se ac revivescunt.* de l. l. V 76 *noctu canit ac vigilat.* VII 22 *quod concurrat aestus atque effervescat.* VII 54 *lanam purgant ac deducunt.* VII 92 *quod fertur est in motu atque adventat.* V 39 *restituitur ac reseritur.* r. r. I 13, 2 *cibus paratur ac capitur.* 31, 5 *purgantur ac saginantur.* 63 *far, ut pisatur ac torreatur.* III 2, 10 *pascitur pecus ac stabulatur.* III 16, 20 *asperantur ac macrescunt.* 5, 7 *circumeunt ac moventur.* — r. r. II 2, 3 *appellabant ac reiciebant.* III 17, 1 *ut*

*gratularetur ac discederet.* II 2, 18 *lavari ac putari.* III 3, 1 *ali ac pasci.* de l. l. VIII *scribere ac dividere.* VI 42 *dicere ac facere*[1]). r. r. II 11 9 *demptam ac conglobatam.* II 2, 2 *comprehensas ac mansuefactas.* I 23, 3 *subsecta ac relicta.* de l. l. V 157 *coacervata ac consepta.* VII 26 *vocabulum ita natum ac scriptum est.* V 93 *medendo ac suendo.* V 134 *sarculum ab serendo ac sariendo.*

§ 10. In fine nonnullas voces pono, quibuscum composita particula *atque* (*ac*) induit vim comparativam:

Similis ac: Varro r. r. II 7, 6: *emptio equina similis fere ac boum et asinorum.* — Cornif. III 27.

similiter ac ... r. r. I 31, 3. de l. l. IX 10. — similiter ut si IX 33.

par atque: de inv. II 25.

pariter atque: Enn. v. 166 (Ribb. tr. fr. p. 37):

*Nam opulenti cum locuntur pariter atque ignobiles.*

aeque ac: Accius (Ribb. tr. fr. p. 284):

*Proin vide ne quem tu esse hebetem deputes aeque ac pecus.* Ennius (Ribb. tr. fr. p. 63, 327). Pacuvius (p. 87, 92). Decimus Laberius (Ribb. com. fr. p. 296, 113). Cornif. II 19 *aeque ac si ... sit.* § 22 *aeque ne sit atque illud.* Varro r. r. III 8 *aeque latum ac mutulus a pariete extare potest.*

item atque: de l. l. X 74 *analogia non item ea definienda quae derigitur ad naturam verborum atque illa quae ad usum loquendi.*

iuxta ac: Varr. r. r. II 7, 1 *feminas etiam in re militari iuxta ac mares habere solebat.* — sat. Men. p. 201, 376. — semel apud Ciceronem legitur: post red. in sen. 20 *iuxta ac si meus frater esset.*

idem atque: Cornif. III 12 *quoniam in eodem virtutis studio sint, apud quos laudemus atque ille, qui laudetur, fuerit*

---

1) haec verba saepius particula *atque* (*ac*) componuntur: r. r. III 12, 1 *dictum ac factum.* — Sisenn. P. p. 292, 110 *fecisse ac dixisse.* — Cic. p. Rosc. A. 34. p. Rab. 15. de fin. II 47. de off. I 98. — Tusc. V 52.

*aut sit.* Ex Cicerone Draegerus II p. 57 modo de inv. II 70 affert; occurrit praeterea pro dom. 51 *quid? hoc ipsum, quod nunc apud pontifices agis ... unum et idem videtur esse atque id, quod de me ipso nominatim tulisti?*

pro eo ac: ep. IV 5, 1 (Servius Ciceroni) *pro eo ac debui.*

pro portione ac: r. r. III 9, 21 *si in farciendo nimio cibo fastidiunt* (sc. *gallinae*), *remittendum in datione pro portione ac decem primis processit, in posterioribus ut deminuat eadem ratione.*

proinde ac: de l. l. VI 49. VIII 17. X 16. X 79. r. r. II 4, 10. III 8, 1. — Saepius *proinde* a Varrone cum particula *ut* componitur: de l. l. VI 14. IX 51. r. r. I 2, 19. 48, 1. II 1, 27. III 17, 4. de vita p. Rom. p. 23, 16. — de l. l. VI 54. r. r. III 16, 30. sat. Men. p. 218, 535. de vit. pop. Rom. p. 25, 31. — Wilm. p. 166. — Duo alia exempla attulit Kettnerus (Krit. Bemerkungen zu Varro u. lat. Glossaren, Halle 1868, p. 6): rer. div. XIV ap. Gell. I 18, 2. rer. hum. XXI ap. Gell. XIII 12, 6. — Cornif. III 16 *proinde atque constet.* — I 4. III 23 *proinde ut.* — II 45 (bis) *proinde quasi.*

Perinde apud Varronem non invenitur.

dissimilis atque: Corn. III 12 *quoniam dissimiles sint, qui audiant atque ille qui vituperetur.*

alius atque: Fannii ann. (P. p. 138, 1) *alius modi atque.* — id. Coelius Antip. (P. p. 147, 3) *alii modi atque.* — id. Licinii Macri ann. (P. p. 308, 20). — Cornif. II 40. — Varro de l. l. V 74. r. r. I 4, 3. II praef. 4. de inv. I 11. II 21.

aliter atque: Cornif. I 10. Varro de l. l. VI 95. IX 25. 56. 83. 104. 112. r. r. II 3. 5. 6. 7. 15. III 15, 2. — de inv. I 44. 55. II 23. 47.

contra ac primum occurrere Verr. IV 6 Draegerus II p. 58 contendit, sed iam legitur Cornif. II 42 *item vitiosum est ipsum sibi in sua oratione dissentire et contra atque ante dixerit dicere.* — de inv. I 93 *contrarium est, quod contra dicitur, atque ii, qui audiunt, fecerunt.* — Varro de r. r. I 7, 6 *contra atque apud nos fieri ad Elephantinen.* — contra quam Varro de l. l. VI 55 *quod fando quem decipit ac contra quam dixit facit.*

## III. De particula ‚atque (ac)' enuntiata componente.

Ac de usu Ciceronis perpauca adicio, de quo iam multi viri docti imprimis Handius et Seyffertus schol. lat. 14 scitissime egerint.

§ 1. Usurpatur particula *atque* (*ac*), si transitus fit ad novam sententiam: Varro de l. l. IX 93 *atque in hisce omnibus similitudines non sumimus tantum a figura, sed etiam aliunde.*

§ 2. Deinde per hanc copulam oratio interpositis aliis verbis interrupta ad rei expositionem revertitur: r. r. III 2 14 sq. *Axio admiranti, Certe nosti, inquam, materterae meae fundum in Sabino qui est ad quartum vicesimum lapidem via salaria a Roma. Quidni? inquit, ubi aestate diem meridie dividere soleam, cum eo Reate ex urbe aut, cum inde venio hieme, noctu castra ponere. Atque in hac villa qui est ornithon, ex eo uno quinque milia scio venisse turdorum denariis ternis, ut sexaginta milia ea pars reddiderit eo anno villae?* Nos nostra lingua coniunctionem *atque* omnino non vertimus, vel, si reddere volumus, voce ‚*also*': *auf diesem Landgute also ist ein Vogelhaus* et q. s.

§ 3. Porro *atque* adserit rem, quae cum antecedentibus proximo temporis nexu cohaeret: Sisennae Miles. XIII (P. p. 297, 4 ex Charis.): *Eamus ad ipsum. atque ipse commode de parte superiore descendebat.* — Memorabilior alius locus est, qui extat Cornif. IV 39 (in exemplo rhetorico): *impunite in me quidlibet statuite, dicite, atque obtemperabo.* — Talem structuram Cicero evitavit et potius verbum futuri temporis praecedenti imperativo sine particula copulativa subiecit, nonnumquam addita voce *iam.* cf. Madvig. de fin. p. 304.

§ 4. Infertur etiam per copulam *atque* (*ac*) res inopinata et improvisa: Claudius Quadrig. (P. p. 212, 12, ex Gell. IX 11): *tum Valerius tribunus ... progreditur intrepide modesteque obviam; et congrediuntur et consistunt, et conserebantur iam manus. Atque ibi vis quaedam divina fit: corvus repente inprovisus advolat et super galeam tribuni insistit.* — Corn. IV 68 *cum Gracchus*

*deos inciperet precari, cursim isti impetum faciunt et ex aliis alii partibus commetant atque ex populo unus: Fuge, fuge, inquit, Tiberi.*

§ 5. Ut ceterae copulae etiam *atque* (*ac*) parentheses adnectit: or Phil. VIII 8 *Hoc bellum quintum civile geritur — atque omnia in nostram aetatem inciderunt — primum non modo non in dissensione et discordia civium, sed in maxima consensione.* — Tusc. V 29. de div. II 144. de fato 6. ad Att. VI 2, 6. XV 11, 2.

§ 6. Proprium locum obtinet *atque* in votorum adiunctione, quae a particula *utinam* incipiunt. Frequens hic usus in Ciceronis scriptis est, imprimisque in epistulis, quae hanc formulam circiter vicies exhibent. Sed iam apud veteres poetas occurrit: Turpil. 207 (Ribb. com. fr. p. 110):

*Age, age egredere, atque istuc utinam perfectum itiner sit tibi.*

Accius v. 190 (Ribb. trag. fr. p. 160):

*Veritus sum arbitros, atque utinam memet possit obliviscier.*

§ 7. Vim particulae *atque* demonstrativam sententiae a formula *atque eccum* incipientes ostendunt, quae saepenumero in poetarum fabulis inveniuntur. Permultos locos ex Plauti comoediis sumptos Ballas p. 30 sq. enumeravit, quibus duos addo ex tragicis: Accii v. 69 (Ribb. p. 44):

*Atque eccos segnis somno et tarditudine.*

Pacuvii v. 238 (Ribb. p. 106):

*Atque eccum ipso tempore ostentum senem.*

§ 8. Enuntiata a coniunctionibus incipientia rarissime a Varrone per copulam *atque* (*ac*) adnecti supra p. 15 sq. dixi, ubi exempla attuli.

§ 9. Paucis denique locis Varro enuntiata relativa particula *atque* (*ac*) adiunxit: r. r. I 9, 7 *si sunt prolixa atque quae ex iis nasci debent earum rerum feracia.*

§ 10. Coniunctio temporalis *simul atque* (*ac*) iam apud Accium invenitur v. 449 (Ribb. tr. fr. p. 194):

*E clamore simulac nota vox ad auris accidit.*

In Cornificii rhetoricis ter occurrit: III 24 *simul ac fortuna dilapsa est.* IV 61 *simul atque hiemem fortunae viderunt, devolant omnes.* 68 *quod simul atque Gracchus prospexit.* (semper in exemplis rhetoricis). Cum hoc *simul ac* non confundendum est, quod legitur § 65: *Illi nuntiatur interea venisse istum et clamore maximo mortem minari. Quod simul ut audivit ‚Heus, inquit, Gorgia absconde pueros, defende, fac ut incolumis sit adulescentia'.* Nam *simul ut* non est pro *simul ac*, sed adiecto adverbio *simul* celeritas consecutionis significatur, ut sit *vix* (kaum hatte er dies gehört). — Raro hanc formulam *simul ut* a Cicerone positam esse omninoque quinque locis codicum auctoritate constanter confirmari Madvigius docet de fin. II 33 p. 201.

In Varronis scriptis saepius *simul atque* (*ac*) occurrit: *simul ac* (cum perf.) r. r. I 8, 6. III 9. sat. Men. p. 177, 139. epist. (Riese p. 259, 3 in sat. Men. ed.) — *s. atque* sat. Men. p. 174, 117. antiqu. rer. div. ap. Merkel. in Ovid. fast. ed. p. 186. — *simul ac* cum praes. indic. sat. Men. p. 221, 558. — cum fut. II r. r. I 31, 5. III 2, 18. — *simul ac primum* r. r. III 2, 18. Huius iuncturae unum exemplum Draegerus II p. 601 affert ex Suet. Caes. c. 30 sumptum.

## *De complurium verborum compositione* [1]).

### I.

§ 1. a) Apud Ciceronem in trium vel plurium rerum enumeratione post priora membra dissolute posita particulam *et* extremo adici, si ordinem claudit omnia complectens, notum est. Quam copulandi rationem alii quoque scriptores adhibuerunt: Varro de l. l. IX 80 *de ficis, platanis et plerisque arboribus.* VIII 58 *ab Amor, Legor et eiusmodi vocabulis.* VI 37 *Lego, scribo, sto, sedeo et cetera quae.* VIII 4 *ab Aemilius orta Aemilii, Aemilium, Aemilios, Aemiliorum et sic reliquae eiusdem quae*

1) de poetarum usu cf. Birtii de halieuticis lib. p. 44 sqq. et in ed. Claudiani p. CCXX.

*sunt stirpis.* r. r. III 13, 3 *cervorum*, *aprorum et ceterarum quadrupedum multitudo.* Corn. III 4 *vis discernitur per exercitus*, *classes*, *arma*, *tormenta*, *evocationes hominum et alias huiusmodi res.* Similiter § 10. 29.

b) Numquam in aequalium membrorum enumeratione copulam in prioribus omissam Ciceronem addere ultimo Madvigius (op. acad. I p. 333 et de fin. IV 56 p. 562 sq.) contendit multosque locos huic legi oppugnantes correxit. Sed virum praeclarum errasse pauca doceant exempla: de invent. I 103 *in homines claros*, *nobiles et honore usos.* ib. § 22 *in contemptionem adducentur*, *si eorum inertia*, *neglegentia*, *ignavia*, *desidiosum studium et luxuriosum otium proferetur.* ep. XVI 11, 3 *consulibus*, *praetoribus*, *tribunis plebis et nobis qui.* cf. Draegeri II p. 3.

Varro saepius hoc dicendi genere usus est: de l. l. V 94 *haec si minus aperta Vindemiator Vestigator et Venator.* VI 75 *Canere*, *Occanit et Succanit ut canto et Cantatio ex camena permutato pro M N.* — IX 33 *in bovom*, *hominum et equorum natura similitudines proportione constare.* r. r. I 4, 1 *eius principia sunt eadem*, *quae mundi esse Ennius scribit aqua, terra anima et sol.* Haec tamquam Ennii verba Epicharmo tribuit Vahlenus p. 168 deleta particula. I 41, 4 *ficus malus et vitis.* 68 *uvae mala et sorbea.* III 12, 2 *horum omnium custodia*, *incrementum et pastio aperta.* de vita pop. R. p. 35, 8 *fetiales viginti*, *qui de his cognoscerent*, *iudicarent et statuerent.*

Cornif. II 47 *Conclusiones tripertitae sunt. Nam constant ex enumeratione*, *amplificatione et commiseratione.* — *Atque* (*ac*) eodem modo usurpatur: Sisenn. (P. p. 291, 105) *prores actuariae*, *tragi·grandes ac faseli.* — Cornif. II 29 *animum ferum*, *crudelem atque inhumanum.* de inv. II 145 *consideranda utra lex ad maiores, hoc est ad utiliores, ad honestiores ac magis necessarias res pertineat.*

c) Ultimum membrum post tria vel plura dissolute posita coniunctione *que* saepe additur: p. Rab. 21 septimum membrum

*omnesque* est; de or. III 107 decimum *similibusque.* de or. I 173 tertium decimum *ceterarumque.*

§ 2. Si in trium vel plurium notionum compositione unicuique copula additur, figuram habemus polysyndeton quae vocatur. Atque in universum particula *et* in hac figura adhibetur. Ter repetitur copula iam saepe apud Catonem: de agr. 8, 2. 35, 2. 83. 112, 3. 113, 1. 114, 1. 127, 2. 156, 6. 7. — Varr. r. r. I 38, 2 *stercus caprinum et ovillum et asinium.* 41, 5 *palma et cupressus et olea.* 40, 3. 45, 1. 46. 58. de l. l. VIII 22. 61. 64. IX 9. 54. 57. 64 et aliis locis. – Cornif. I 3. II. 11. 12. 13. 46. III 25. — Quater *et* ponitur: Cato de agr. 34, 2. 46, 1. 73 *pellem et far et salem et serpullum.* 97. 98, 1. 109. — Varro de l. l. VI 59. 69 *ab eadem sponte a qua dictum spondere declinatum spondit et respondet et desponsor et sponsa, item sic alia.* 83. — Cornif. III 19.

Quinquies occurrit: Cato de agr. 157, 1. Varro de l. l. VI 76 *Oro ab ore et perorat et exorat et oratio et orator et osculum dictum.* – Cic. de or. I 211. ad Att. X 8, 2. — Sexies de nat. d. II 80. — Ex Livio Draegerus II p. 3 locum affert, quo *et* duodecies (l. XXII 1) et alium quo sexies decies (l. XXVII 10) ponitur, sed superat hos numeros longe Cicero de or. III 207, ubi copula *et* duodetricies in enumeratione ponitur.

§ 3. Particula *que* rarius complurium rerum coniunctioni inservit, sed occurrit et in prisco sermone et apud Ciceronem. Ex inscriptionibus Elmerus p. 35 pauca exempla affert; Cato duo praebet: praef. 4 *pius quaestus stabilissimusque consequitur minimeque invidiosus.* 3, 5 *si oletum bonum beneque frequens cultumque erit.*

In eleganti sermone particulam *que* saepius poni Draegerus II p. 37 sq. negat, quocum Kuehnerus II p. 441 consentit. Utrumque errasse hi loci demonstrabunt: pro Ros. Am. 131 *si commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus ab eo nobis dari atque impertiri videmus.* Verr. II 35 *plena domus caelati argenti optimi multaeque stragulae*

*vestis pretiosorumque mancipiorum.* pro Cluent. 125 *qui fratris uxorem speratosque liberos fratremque ipsum interfecerit.* post red. in sen. 1 *si, p. conscripti, pro vestris immortalibus in me fratemque meum liberosque nostros meritis parum vobis cumulate gratias egero.* ib. § 27 *illum contra rempublicam salutemque bonorum concordiamque civium facturum.* de or. I 120 *Ut enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem variosque eventus orationis exspectationemque hominum pertimescit.* de div. I 7 *in quo iudicandum est, quantum auspiciis rebusque divinis religionique tribuamus.* ad Att. XIV 12, 1 *tam claram tamque testatam rem tamque iustam.*

§ 4. Etiam particula *atque (ac)* iterata invenitur: Cic. de div. II 114 *Ille Graecus quid mirum, si magnitudine periculi, ut plerumque fit, a constantia atque a mente atque a se ipse discessit.* — Quint. Cicero de petit. consulatus c. 2, 9: *illis Gallis, qui tum Titiniorum ac Nanniorum ac Tanusinorum capita demebant, Sulla Catilinam praefecerat.* 14, 54 *esse unum hominem accommodatum ad tantam morum ac sermonum ac voluntatum varietatem.*

Nonnumquam breviorem longior particulae forma sequitur et vice versa: Varro r. r. II 7, 15 *peritus belli alios* (sc. *equos*) *eligit atque alit ac docet.* — Verr. III 64 *hoc novum ac singulare atque incredibile genus iniuriarum.* — Ter haec copula ponitur, sed duas modo diversas res coniungit: Varr. r. r. III 6, 5: *pastorem cum batillo circumire oportet ac stercus tollere ac conservare.* Cic. p. Rosc. Am. 54 *iudicio ac legibus ac maiestate vestra abuti ad questum atque ad libidinem.* ib. § 37. p. Cluent. 190. p. Cael. 47. de har. resp. 19.

§ 5. Verum et multis aliis modis copulatio trium vel plurium notionum pari dignitate procedentium constituitur atque etiam ab optimis scriptoribus, quod Draegerus II p. 63 negat.

a) Tria membra hac figura coniuncta leguntur:

x et x ac x

Varro de r. r. II 5, 12 *tauros herba et palea ac faeno facio pingues.* — Cic. de div. I 27 *senatus auctoritatem et populi*

*Romani libertatem atque imperii dignitatem suis armis esse defensam.*

x ac (atque) x et x

Varro r. r. II praef. 5 *fructus tolli possunt non mediocres ex ornithonibus ac leporariis et piscinis.* I 4. — Cic. de nat. deor. II 134 *dentibus in ore constructis manditur atque extenuatur et molitur cibus.*

x et x xque

Claudius Quadrig. (Peter p. 217, 24) *Romani multis armis et magno commeatu praedaque ingenti copiantur.* — Varro r. r. I 59, 2 *in iis camaras marmorato et parietes pavimentaque faciunt.* — Cic. p. Quinct. 33 *quam rem facile a praetore impetrassent, nisi tu quod esset tuum ius et officium potestasque docuisses.* Verr. I 28 *Pertinet hoc ad summam rem publicam et ad existimationem ordinis nostri salutemque sociorum.*

x xque et x

Cic. Tusc. V 11 *Socratis multiplex ratio disputandi rerumque varietas et ingenii magnitudo .. plura genera effecit dissentientium philosophorum.* p. red. ad Quir. 5 *magnitudinem beneficiorum, quam in me fratremque meum et liberos nostros contulistis.* (cf. red. in sen. 1, ubi eadem verba bis per *que* composuit). Brut. 86 *Laelium, cum eum socii domum reduxissent egissentque gratias et ne defetigaretur oravissent.* pro Cael. 12 *monstrum, tam ex contrariis diversisque et inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum.* p. Cluent. 194.

x ac x xque

ep. ad Brut. I 13, 1 *quid vero aut mihi tribuere boni possunt ... aut ego matri ac sorori puerisque illis praestaturus sum ...?* Duo modo membra agnoscimus Varr. r. r. I 23, 4 *quae ad hominum victum ac sensum delectationemque non pertinent.*

b) Etiam quattuor notiones variis modis componuntur:

x et x et x ac x

pro Sest. 90 *qui vulneribus, quae cernit cotidie toto corpore, monetur, ut aliquo praesidio caput et cervices et iugulum ac*

*latera tutetur.* de leg. agr. II 52 *cum rex Mithridates ... Maeote et illis paludibus et itinerum angustiis atque altitudine montium defendatur.*

x et x ac x et x

Varro de l. l. V 162 *ubi cenabant cenaculum vocitabant, ut etiam nunc Lanuvi apud aedem Iunonis et in cetero Latio ac Faleriis et Cordubae dicuntur.* r. r. I 41, 6 *sic genera ficorum, chiae ac chalcidicae et lydiae et africanae, item cetera transmarina in Italiam perlata.* particulam *et* ante *africanae* omittunt codices, recepit Keilius ex Aldina editione. cf. comment. p. 102.

x ac x et x et x

de r. r. III 2, 13 *gallinae ac columbae et apes et cetera quae in villa solent pasci.*

c) Tria membra componuntur, quamquam primo obtuitu quinque videntur: de r. r. III 8, 1 *Turturibus item locum constituendum ... eumque item ut de columbis dictum est, ut habeat ostium ac fenestras et aquam puram ac parietes ac camaras munitas tectorio;* duo enim priora et posteriora artius cohaerent.

d) Componuntur etiam asyndeta et polysyndeta: Cic. de dom. 5 *hunc tu civem ferro et armis et exercitus terrore et consulum scelere et audacissimorum hominum minis, servorum dilectu, obsessione templorum, occupatione fori, oppressione curiae domo et patria cedere coegisti.* Quod inter posteriora membra particula copulativa deest, ex celeri et concitata oratione explicatur.

Memorabilis est locus, qui extat ap. Varron. de l. l. V 74, quem ex Ennii annalibus sumptum esse Hauptius coniecit (Hermae vol. I p. 401 et opusc. III p. 355), qui verba posuit hoc modo:

*Vovit Opi Florae Vedio Iovi Saturnoque*
*Soli Lunae Vulcano et Summano, itemque*
*Larundae* ................. *Quirino*
*Vortumno Laribus Dianae Lucinaeque.*

Sed vix in illo loco Varroniano versus agnoscas.

## II.

Ut singulae notiones, ita etiam maiores enuntiatorum partes varie componuntur: de fin. V 42 *deinde aequalibus delectantur libenterque se cum iis congregant dantque se ad ludendum fabellarumque auditione ducuntur deque eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt animadvertuntque ea quae domi fiunt curiosius incipiuntque commentari aliquid et dicere et eorum, quos vident, volunt non ignorare nomina, quibusque rebus cum aequalibus decertant, si vicerunt, efferunt se laetitia, victi debilitantur animosque demittunt.*

x xque xque

de or. I 14 *auditis oratoribus Graecis cognitisque eorum litteris adhibitisque doctoribus.* ep. VII 20, 2 *sed valebis meaque negotia videbis meque dis iuvantibus ante brumam exspectabis.* XIII 11, 1 *ad ea visenda pecuniasque ... exigendas totamque rem et cognoscendam et administrandam legatos misimus.* — Varro r. r. II 2, 15 *cum parere coeperunt inigunt in stabula eaque habent seclusa ibique nata recentia ad ignem prope ponunt.* III 10, 4 *cotidie producunt (*sc. *anseres) in prata, item piscinas aut paludes iisque faciunt haras .., easque cellas provident ne habeant in solo umorem.*

x et x xque

de or. I 149 *plerique in hoc vocem modo et vires exercent suas et linguae celeritatem incitant verborumque frequentia delectantur.*

x xque et x

de or. I 182 *si quis apud nos servisset ex populo foederato seseque liberasset et postea domum revenisset, quaesitum est* et q. s.

x et x ac x

Varro r. r. II 2, 12 *pruina iam exalata propellunt in pabulum et pascunt diem totum ac meridiano tempore semel agere potum satis habent.* III 16, 10.

x ac x xque

r. r. II 10, 6 *iis mulieres adiungere, quae sequantur greges ac cibaria pastoribus expediant eosque adsiduiores faciant.*

x et x et x

r. r. III 16, 17 *mellarius inspicere debet fumigans leviter eas et ab spurcitiis purgare alvum et vermiculos eicere.* III 16, 2.

x atque x et x et x

Varro r. r. III 16, 9 *omnes (apes) ut in exercitu vivunt atque alternis dormiunt et opus faciunt pariter et ut colonias mittunt.*

## III.

Sequatur copulatio complurium enuntiatorum.

x et x et x

Cornif. II 46 *quae ... non complectitur et quae non concluditur et quae non certum aliquid relinquit.* III 21. de inv. I 11.

x et x et x et x

Cornif. IV 18 *si fugiemus ...., et si vitabimus ..., et si fugiemus, et si non utemur.*

Octo enuntiata condicionalia particula *et* coniunguntur de inv. I 28. — septem Cornif. I 14. Quinque enuntiata: r. r. II 1, 9 *quod multa etiam nunc ex vetere instituto bubus et ovibus dicitur, et quod aes antiquissimum quod est flatum pecore est notatum et quod urbis, cum condita est, tauro et vacca qua essent muri et portae definitum, et quod, populus Romanus cum lustratur suovitaurilibus, circumaguntur verres aries taurus, et quod nomina multa habemus ab utroque pecore.*

x et x xque

Sempron. Asellio (P. p. 179, 2): *scribere bellum initum quo consule et quo confectum sit, et quis triumphans introierit ex eo bello, quaeque in bello gesta sint.*

x xque xque

Pison. annal. (P. p. 131, 27): *Cn. Flavius, patre libertino natus, scriptum faciebat, isque in eo tempore aedili curuli apparebat, eumque pro tribu aedilem curulem renuntiaverunt.*

x xque xque xque

Cic. Brut. 272 *Itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur; eratque verborum et delectus elegans et*

*apta et quasi rotunda constructio; cumque argumenta excogitabantur ab eo multa et firma ad probandum, tum concinnae acutaeque sententiae; gestusque ita venustus ut ars etiam ... videretur accedere.* or. 206. ac. post. I 38. de div. II 86.

## *De correlatione.*

§ 1. Si duae res non solum componuntur, sed ex aequo ponuntur ita, ut utrique eadem gravitas sit, geminatur particula ac dicitur *et — et.*

a) Claudius Quadrig. (P. p. 212, 12): *et sua virtute nixus et opera alitis.*

Scipio Afr. min. (Meyer p. 175): *cum et vobis et omnibus ... maxime vivo opus est.* — Varr. de l. l. V 83 *quod facere et solent et debent.* — Saepius adicitur vox *uterque.* VI 36 *quod habet utrumque et tempora et casus.* VIII 12 *utrumque generis et vocabuli et verbi quaedam priora, quaedam posteriora.* III 17, 6 *utraque re et cibo et potione.* I 18, 8. II praef. 5. III 2, 10. — de l. l. X 35 *utrubique, et in his verbis, quae imponuntur et in his, quae declinantur.* ib. 38 *cum utrubique dicimus et in aere et in argento esse eandem rationem.* — Cornif. IV 20 *utramque exornationem, et hanc et quam ante exposuimus.* —

Interdum aequiparantur contraria: Varro de l. l. V 83 *et uls et cis Tiberim.* IX 76 *et priora habere nominandi et posteriora obliquos* (sc. *casus*). VI 49 *et se fuisse et illos esse mortales.* r. r. III 16, 17 *quod et frigore hieme et aestate calore commoventur.* — Corn. IV 38 *et superiores partes et inferiores.* 42 *et in laudando et in laedendo.*

Potest alterum membrum gradationem continere: de inv. I 15 *cum et peccasse et consulto peccasse reus se confitetur.* de or. I 13 *in quibus dicendi vis et inventa et perfecta est.*

Adicitur particula *simul* in oratt. Ciceronis his locis: p. Rosc. Am. § 112. p. Cluent. 43. Phil. X 5. cf. Landgrafii ed. Rosc. p. 335. — de invent. II 87.

b) Tria membra ex aequo ponuntur ap. Varr. de re r. I 2, 13 *scripserunt et poenice et graece et latine.* I 3. 22, 2. III 16, 6. l. l. VIII 53. IX 47. 111. X 30, saepius. Cornif. III 33. IV 3. 16. 41. de inv. I 33.

c) Quattuor membra: Varro de l. l. X 59 *quapropter et ex rectis casibus obliqui et ex obliquis recti et ex singularibus multitudinis et ex multitudinis singulares nonnunquam recuperari possunt.* ib. § 65.

d) Quinquies *et* ponitur: de or. I 235. II 170. Phil. IX 5. de div. I 99. p. Mil. 91. Cato m. 46.

e) Sexies: de div. I 97. de nat. deor. I 30. de div. II 109.

f) Duodecies: part. or. 80 sq. *Vitiorum autem sunt genera contraria. Cernenda autem sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quae virtutem videntur imitari. Nam et prudentiam malitia et temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis et magnitudinem animi in nimis extollendis et despicientia in contemnendis honoribus et liberalitatem effusio et fortitudinem audacia imitatur et patientiam duritia immanis et iustitiam acerbitas et religionem superstitio et lenitatem mollitia animi et verecundiam timiditas et illam disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum et hanc oratoriam vim inanis quaedam profluentia loquendi.*

§ 2. Pro iunctura *et* — *et* etiam aliae leguntur: Varro de r. r. I 6, 5 *contra aestiva montanis locis commodiora, quod ibi tum et pabulum multum, quod in campis aret, ac cultura agrorum aptior, quod tum hic frigidior aer. ac cultura*, quod in codicibus et priscis editionibus est, Keilius in ed. maiorem recepit, postea *ac* improbavit et Iucundum secutus in ed. min. et commentario p. 30 *et cultura* posuit.

et x et x xque

de nat. deor. I 45 *ad hanc confirmandam opinionem anquirit animus et formam et vitae actionem mentisque agitationem in deo.* II 120. 127. de div. I 36. de off. I 94. de fin. II 47.

et x et x et x xque

de nat. d. II 161 *Iam vero immanes et feras beluas nanciscimur*

*venando, ut et vescamur iis et exerceamur in venando ad similitudinem bellicae disciplinae et utamur domitis et condocefactis, multaque ex earum corporibus remedia morbis et vulneribus eliciamus.* — Claudius Quadrig. (P. p. 208, 10): *qui et viribus et magnitudine et adulescentia simulque virtute ceteris antistabat.*

et x et x et x et x xque

de fin. II 42 *mentem sagacem, quae et causas rerum et consecutiones videat et similitudines transferat et disiuncta coniungat et cum praesentibus futura copulet omnemque complectatur vitae consequentis statum.*

Paucis locis copulatio interrumpitur asyndeto: Tusc. III 83: *Sed ratio una omnium est aegritudinum, plura nomina; nam et invidere aegritudinis est et aemulari et obtrectare et misereri et angi, lugere, maerere, aerumna adfici, lamentari, sollicitari, dolere, in molestia esse, adflictari, desperare.* — de inv. II 42: *nam et ex fortuna et ex natura et ex victu, studio, factis, casu, orationibus, consilio et ex habitu animi aut corporis pleraque pertinent ad eas res, quae rem credibilem aut incredibilem facere possunt.* — In posteriore horum exemplorum parte copula omissa est accelerandae enumerationis studio.

Memorabilis est locus, qui extat r. r. I 15 *nulla* (sc. *arbor*) *potior serenda* (*quam ulnus*), *quod maxime fructuosa, quod et sustinet saepe ac cogit aliquot corbulas uvarum et frondem iucundissimam ministrat ovibus ac bubus ac virgas praebet et saepibus et foco ac furno.* Duo in his habemus membra maiora, quod Keilius recte cognovit comment. p. 53 sic interpretatus: laudantur ulmi, quod et magnam uvarum copiam saepe sustinent atque colligendam praebent et frondem ac virgas in varios usus ministrant.

et — et non

de inv. I 9, 57.

et non — et

Varro de r. r. III 14, 2 *locus is melior, quem et non coquit sol*

*et tangit ros.* — de or. I 205 *illa te et non contemnere et didicisse.* de off. III 43. ep. V 11, 2.

et — et nullus

ep. I 9, 21 *apertius haec ago ac saepius, quod et Quintus, frater meus, legatus est Caesaris et nullum minimum dictum, non modo factum, pro Caesare intercessit, quod ille non ita inlustri gratia exceperit, ut ego eum mihi devinctum putarem.*

et — et nunquam:

ep. I 9, 20 *gaudere se dicebant mihi et illum inimicum et eos, qui in eadem causa essent, numquam amicos futuros.*

neque — et:

Cornif. II 1, 1 *quod neque de omnibus rebus simul dici poterat et de maximis rebus primum scribendum fuit.* IV 57 *stulte faciunt: nam neque effugere incommoda possunt et ingrati in civitatem reperiuntur.* — de inv. I 68, 6. II 67. 164. Varro r. r. III 16, 8. III 16, 19.

et — neque:

Varro r. r. I 23, 6 *nam et in recentibus pomariis .. antequam radices longius procedere possint, alii conserunt hortos, alii quid aliud, neque cum convaluerunt arbores idem faciunt.*

et non — nec:

Varro de l. l. V 148 *nam et Procilius non idem prodidit, quod Piso, nec quod is Cornelius Stilo secutus.* — Cic. Cat. m. § 7.

Si tota enuntiata aequantur, sola particula *et* in usu est: Varro de l. l. VI 42 *sed et cum cogitamus quid et eam rem agitamus in mente, agimus, et quom pronuntiamus agimus.* — IX 67. — VIII 39 *utrumque ignorant, et in quo loco similitudo debeat esse, et quemadmodum spectari soleat, simile sit necne.* — Corn. III 35 *et quas vitemus et quas sequamur scire.* de inv. I 89 *observare oportet et quid sumatur et quid ex his conficiatur.* — I 39.

---

## *De asyndeto.*

§ 1. a) Si in complurium notionum collocatione inter singulas copula omittitur, figuram asyndeti vel dissolutionis habemus. Quam figuram quomodo optimi sermonis latini scriptores adhibuerint, imprimis Naegelsbachius (lat. Stilistik § 198—202) egregie explicavit. Ubertim etiam Draegerus rem tractavit § 359—367. Frequentissimum est asyndeton enumerativum quod vocatur. Persaepe Varro tria, quattuor, quinque, sex membra dissolute componit in enumeratione. Septem res enumerantur r. r. I 18, 2. III praef. 2. — octo r. r. I 24, 1. — decem I 9, 2. — undecim III 16, 13. de l. l. VI 96. — Cornificius octo membra dissolute collocat II 8, novem I 8. IV 7. — duodecim I 10. quindecim I 13.

Cicero undecim res sic posuit: de inv. I 34. Phil. II 12. — duodecim de or. II 67. — quattuordecim Tuscul. IV 16. — quindecim de inv. I 27. — sedecim Tusc. V 107. — septemdecim de nat. d. III 44. — undeviginti nomina propria de harusp. resp. 12.

b) Interdum binae res copula coniunctae dissolute componuntur in enumeratione: Cornif. IV 61: *inventio similium facilis erit, si qui sibi omnes res, animantes et inanimas, mutas et eloquentes, feras et mansuetas, terrestres, caelestes, maritimas, artificiosas casu natura comparatas, usitatas atque inusitatas frequenter ponere ante oculos poterit.*

c) Etiam paria, quae ipsa dissolute sunt composita, saepius ponuntur particula copulativa omissa: Brut. 188 *gaudet dolet, ridet plorat, favet odit, contemnit invidet, ad misericordiam inducitur ad pudendum ad pigendum, irascitur miratur, sperat timet.* — or. 38 *faciendum est, ut irascatur iudex mitigetur, invideat faveat, contemnat admiretur, oderit diligat, cupiat satietate afficiatur, speret metuat, laetetur doleat.* — Phil. II 45 *di homines, summi medii infimi, cives peregrini, viri mulieres, liberi servi.* — In his exemplis quae facile augeri possunt, semper notiones contrariae coniunguntur; occurrunt etiam syno-

nyma: Catil. I 31 *patefacta inlustrata*, *oppressa vindicata*. III 16 *obiret occurreret*, *vigilaret laboraret*.

d) Haud raro dissolutionis figura gradatio efficitur, velut pro Cluent. 188: *Nihil est enim mali*, *nihil sceleris*, *quod illa non ab initio filio voluerit*, *optaverit*, *cogitaverit*, *effecerit*. — Catil. II 16 *appellare, temptare sollicitare poterat, audebat*.

e) Nonnumquam haec figura adhibetur, ut unaquaeque res pari dignitate efferatur, quo munere plerumque fungitur iunctura et — et. ep. XIII 6 *ut mihi Cuspius quam maximas quam primum quam saepissime gratias agat*.

f) Late etiam patet cumulatio notionum cognominatarum et cognatarum: ac. pr. II 62 *quae cognosci*, *comprehendi*, *percipi possit*. ep. XIII 29 *observari*, *coli*, *diligi* (ib. 78 *et colit et observat et diligit*). p. Rosc. C. 20 *fraude fallaciis mendaciis*. Verr. I 43 *contemnimur*, *despicimur*. Div. i. C. 7 *adflicti*, *miseri*. p. Rosc. A. 117 *induxit*, *decepit*, *destituit*, *adversariis tradidit*, *omni fraude et perfidia fefellit*. in Pis. 1 *hic vultus eos*, *quibus erat ignotus*, *decepit*, *fefellit*, *induxit*.

§ 2. Ut transeamus ad enuntiata dissolute composita, valde amant hoc genus dicendi scriptores in vivida oratione maximeque historici eo utuntur ad pingendum continuum et celerem rerum cursum. Exempla satis multa veterum historicorum fragmenta offerunt: Piso ann. (P. p. 132, 27): *hi contempnentes eum assurgere ei nemo voluit. Cn. Flavius*, *Anni filius*, *id arrisit*, *sellam curulem iussit sibi afferri*, *eam in limine apposuit*, *ne quis illorum exire posset*. — Coelius Antipater (P. p. 159, 41): *omnes simul terram cum classi accedunt*, *navibus atque scaphis egrediuntur*, *castra metati signa statuunt*. — Claudius Quadrigarius (P. p. 233, 81): *Cum Sylla conatus esset tempore magno*, *eduxit copias*, *ut Archelai turrim unam*, *quam ille interposuit*, *ligneam incenderet*; *venit*, *accessit*, *ligna subdidit*, *submovit Graecos*, *ignem admovit*; *satis sunt diu conati*, *nunquam quiverunt incendere*; *ita Archelaus omnem materiam obleverat alumine*. — Etiam Sisenna hanc formam dicendi amavit, v. P. p. 281, 27. 287, 63. 289, 82. 84. 297, 07. — Dignus

etiam qui commemoretur est locus orationis C. Gracchi de legibus promulgatis (Meyer p. 236): *Nuper Teanum Sidicinum consul venit, uxor eius dixit, se in balneis virilibus lavari velle. Qaestori Sidicino a M. Mario datum est negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur. Uxor renuntiat viro parum lautas fuisse. Idcirco palus destitutus est in foro eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo M. Marius, vestimenta detracta sunt, virgis caesus est.* —

Cornif. I 21 *Caepio, ut illum intercedentibus conlegis, adversus rem publicam vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deicit, impedimento est, quo setius feratur.* ib. § 18. 23. de inv. I 108 *non adfui, non vidi, non postremam eius vocem audivi, non extremum spiritum eius excepi.* II 14. I 28 *accessi ad aedis, puerum evocavi, respondit, quaesivi dominum, domi negavit esse.*

Porro tota enuntiata ut singulae notiones in enumeratione sine copula ponuntur; Varro de l. l. X 2 *quae declarabunt analogiam et anomaliam, unde sit, quid sit, cuius modi sit.* VIII 16. r. r. II 1, 1 *disserere quae esset origo, quae dignitas, quae ars.* II 1, 24. III 5, 3. — Cornif. II 50 et III 9: novem enuntiata condicionalia sine copula coniunguntur. — I 15 quinque enuntiata finalia dissolute sequuntur. Quem locum imitatus est Cicero de inv. I 29. Numero membrorum hunc superat alius locus, qui extat or. 137, ubi duodequadraginta sententiae a coniunctione *ut* incipientes componuntur particula omissa.

Pertinet huc etiam anaphorae figura, quae apud Ciceronem frequentissimo in usu est, neque tamen apud alios prorsus desideratur. Occurrit ap. Varron de l. l. X 2 *quid sit simile ac dissimile, quid ratio ..., quid ..., quid consuetudo.* r. r. II 1, 24. III 2, 4 *ubi cohortes .. considant, ubi arma ostendant, ubi censores censu admittant populum.* II 10, 3. Cornif. I 8 *si, quae de eis existimatio, quae iudicii exspectatio sit, aperiemus.* § 11. 22. II 13. 46.

---

In fine nonnullas iuncturas pono, quae cadunt sub figuram allitterationis quae vocatur. Cuius usus permulta exempla collegit et digessit E. Woelfflinus (Sitzungsber. d. bayr. Akad. d. Wiss. 1881, vol. II), quae paucis augebo: Varro r. r. II 2, 3: *circum cervicem et collum.* I 15 *foco ac furno.* de l. l. VIII 31 *in tecto et tuto.* — Cornif. III 14 *vires atque velocitas.* — Dec. Laber. p. 285, 42 *licentiam ac libidinem.*

Cic. p. Quinct. 91 *per senectutem ac solitudinem.*
Div. i. C. 39 *voce ac viribus.*
p. Cluent. 25 *vim atque victoriam.*
p. Sest. 67 *virtute victoriaque.*
Phil. XIV 25 *virtute atque victoria.*
Verr. III 11 *de victu vitaque.*
de imp. Cn. Pomp. 59 *vita atque virtute.*
p. Mur. 52 *caput et collum.*
Verr. IV 36 *data atque donata.*
de dom. 77 *ficte et fallaciter.*
p. Sest. 113 *fidem ac fortitudinem.*
p. Scauro 27 *locus ipse lacusque.*
p. Cael. 33 *more ac modo.*
p. Mur. 72 *more et modo.*
de or. I 221 *mala ac molesta.*
Verr. I 53 *servi ac supplices.*
p. Planc. 86 *taeterrimi atque turpissimi.*
p. Cael. 16 *sodalium ac sequestrium.*

---

# Vita.

Natus sum Guilelmus Merten h. s. a. LXIV d. IV mens. Mai in vico Guestphaliae prope Sigam sito, cui nomen est Littfeld, patre Friderico matre Philippina et gente Poetz. Patrem ante annum mihi ereptum valde lugeo. Fidem confiteor evangelicam. Elementis litterarum in ludo publico imbutus gymnasium frequentavi Barmense. Unde vere anni LXXXV maturitatis testimonio instructus Tubingam me contuli, ut studiis philologis et historicis me darem. Ibi et Lipsiae et Friburgi per triennium commoratus ad perficienda studia hanc almam Musarum sedem adii. Docuerunt me viri clarissimi Marpurgenses *Bergmann*, *Birt*, *Cohen*, *Fischer*, *Mirbt*, *Niese*, *L. Schmidt* (†), *Varrentrapp*, *Wissowa*. Seminarii philologi per quinque semestria fui sodalis et extraordinarius et ordinarius. Praeterea exercitationibus historicis et ad antiquitatem et ad medium aevum pertinentibus et geographicis interfui. H. a. Ianuarii mens. d. XX examine pro fac. doc. bene superato studiis academicis finem imposui.

Praeceptoribus vero omnibus imprimisque Birtio, qui semper studiorum meorum fautor et indefessus adiutor extiterit, gratias ago quam maximas semperque habebo.

---




U.C. BERKELEY LIBRARIES
C004143818